27
6
49

6
11-a

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
10 D
49

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-11-a-35

27-6-36

22/7.35
22
6
49.

Digitized by Google

+

Francisci Remondi
Panegyrici·

7·f·
11·
74

Digitized by Google

Digitized by Google

FRANCISCI REMONDI DIVIONENSIS,

E SOCIETATE IESV

Panegyricæ Orationes XXX.

In laudem Sanctorum IGNATII LOYOLAE Societatis IESV Fundatoris,

Et

FRANCISCI XAVERII eiuſdem Societatis Indiæ & Iaponiæ Apoſtoli,

Nunc primùm in lucem editæ.

Acceſſit Panegyrica Oratio in laudem Sancti Caroli, Cardinalis, eodem Auctore.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

B S

PLACENTIÆ, M.DC.XXVI.

Apud Iacobum Ardizzonum Cameralem Typographum.

Superiorum permiſſu.

Bibliothecæ Collegij Romani Societatis

EGo Alexander Neuola, Societatis Ieſu in Prouincia Veneta Præpoſitus Prouincialis, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodùm Patre noſtro Generali Mutio Vitelleſco, facultatem concedo, vt Franciſci Remondi Diuionenſis Societatis Ieſu Panegyricæ Orationes in laudem Sanctorum Ignatij Loyolæ, Societatis Ieſu fundatoris, & Franciſci Xauerij eiuſdem Societatis, Indiæ & Iaponiæ Apoſtoli, quibus acceſſit Panegyrica Oratio in laudem Sancti Caroli Cardinalis, eodem auctore, trium doctorum virorum noſtræ Societatis iudicio approbatæ, typis mandentur. In quorum fidem has literas propria manu ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Mantuæ, 8. Octobris, anno 1625.

Alexander Neuola.

Imprimatur.

F. Claudius C. Inq. Plac. &c.

Imprimatur.

Præpoſitus Boninus Vic. Gen.

Vidit Iulius Cæſar Bicochus Cam. Plac. Cancell.

a

Admodùm R. P. in Chriſto

P. MVTIO VITELLESCO

SOC. IESV PRÆPOSITO GEN.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TErtius annus eſt, cùm non ſolùm tui deſiderij ſignificatio mihi, Pater optime, imperium fuit, verùm etiàm mei ergà ſanctiſsimos viros Ignatium Loyolam, & Franciſcum Xauerium debiti ratio à me ſolutionem exegit. Contuli me ad hòc quod vides opus. Varijs occupationibus non ſemel eſt interciſum. Continuata voluntate, nunc tandem vtcumque confectum prodit. Tibi offero dicoque Ignatij nimirum ſucceſſori, eiuſdemque, ac Franciſci conſpicuo imitatori. Tua te virtus extulit in eum quem tenes dignitatis gradum. hic cum illa de magnitudine contendit. Nobile iurgium luditur æqualitate. Gradum illum in te Societas reueretur, virtutem colit, amat vtrumque. O amplum præconij compendium! Hæc moleſta ſunt auribus tuis. Scio. Hoc vno tua virtus inimica ſui eſt. noli eſſe mihi. Quid vis faciam? Do locum animo meo. Tu da veniam contumaciæ veritatis. Sunt & in me aliæ priuatæ rationes. Ego te quondàm Romæ, adoleſcens adoleſcentem vidi ſpectauiq; virgineo pudore, morum innocentia, ſummaque ad omnem doctrinam ingenij felicitate, veluti Romanæ principem iuuentutis. Habuere omnes tuo exemplo quid diſcere, quidque agere poſſent. Et mihi etiàm tecum in Societate ſtudiorum pars exacta. Erat tùm in Romano Collegio, cæleſtis tuae

tum omnibus conſuetudinis operoſa ſuauitas, omnium amor ac piæ deliciæ, & particeps fui. Diuinæ ſubinde dotes, prudentiæ præſertim, ac vitæ integritatis, in te ad cumulum auctæ, magno Societatis bono. Præcellentiſſimum Philoſophiæ, ac Theologiæ profeſſorem excepere grauiſſima munia. Interim tua mihi abſenti præſentia hæſit. Defixa fuerat menti, non loco. At nunc ergà tantum virum, noſtrique ordinis caput, quem me eſſe oportet? Si conſulo paruitatem meam, prouiſum mihi eſt. Nihil ad venerationem re abiecta pronius. Omnium infimus, nemini potero in te honorando eſſe inferior. Sed vt finem ad initium referam, excipe hoc qualecumq; argumentum obſeruantiæ ergà te meæ; atque in primis ergà beatiſſimum parentem noſtrum, eiuſq; primarium ſanctitate filium cultus pietatiſque monumentum. In eo elaborando conatus ſpei meæ, ſpes tuo deſiderio adnixa eſt. Impares fuere molimini vires. conatu fracto, ſpes excidit. ſtat deſiderium tuum. conſolare illud. Ex iſto quippè caſu ſurget forſitan maior gemino heroi gloria. Id ſi contingat, ambitioſa fiet in eorum laudes deſperatio mea, & in tui ſemper obſequium animoſa timiditas. Vale. Mantuæ, ipſo die feſto S. Ignatij, qui poſtremus Iulij menſis. anno 1625.

Admodum R. P. Tuæ

Obſequentiſſimus in Chriſto filius, ac ſeruus

Franciſcus Remondus.

AVCTOR LECTORI.

MIRABERIS forſan, amice, quiſquis es, honorande, huius panegyrici operis contextum. Cauſam accipe. Vbi ego illud, quamquàm ſerò, animaduerti vno tantum tractu excurrere longiſſimè, vt te ad quietem ſubindè ſiſteres, meliore conſilio, in partes fregi: quibus, excepta prima, pauciſque alijs, exordia non induxi. Quid enim neceſſe id fuit à Conſule in Catilinarijs, ac Philippicis orationum initia. Quod Marco Tullio in homines perditos inuehenti fas fuit, mihi ſanctiſſimorum virorum facta celebranti non liceat? Malè potiùs habet toti operi meo, quòd ergà illos non benè. Quàm diſpar (Deus bone) tot ac tantis meritis laudatio! Sed habeo pudori meo perfugium. Ab exceſſu olim è grammaticis, Romæ ingreſſum in Societatem Ieſu, me ſeſquiannus diſcipulum Rhetoricæ habuit, annus magiſtrum. Nihil mihi prætereà cum illis literis. facilè ignoſcent: mitiores appellantur. In Philoſophicis, ac Theologicis doctrinis, partim ſtudendo, partim quamplurimis annis publicè docendo, partim ſcribendo, reliquum vitæ ſpatium ad hoc vſquè tempus exhauſi. Poetica tamen quædam, & oratoria, tùm adoleſcens, tùm vir, interdum fudi; obiecta fortè, vt fit, occaſione, aliorum rogatu, vel iuſſu. Hæc poſteà videre lucem. neſcio an tu eorum tenebras. Qualiacumq; ſint, diuerſis in prouincijs ſæpè triuere in prælo plumbum, me vt plurimum inſcio. Vt cognoui, ſunt illæ, dixi, impreſſæ notæ pudoris mei, tametſi nigræ. ruberent, ſi poſſent, ad verecundiam conſpicuam. Veſter fuit, ò typographi, in tenui labor. Spem indè facitis operi nouo. Sed væ mihi, ætate ſenili cum florente commiſſa. Deus benè vertat mihi, vobiſque. Ad te redeo, mi, non cenſor, obſecro, ſed lector. Monitum te velim, non eadem omninò, qua anteà, me nunc vſum ſcribendi forma. Enimuerò nec in iſtis panegyricis orationibus vnum tenui ſtylum. Id vltrò animaduertere poteris. quod quidem ſtudioſè à me, non caſu; conſilio, non temerè factum. Varia ſunt, cum ſemper, tum hoc præſertim ſeculo ingenia hominum. Sic & in natura vides diſſimilia oris humani lineamenta, & colores. Eſt & in victu diſſidium. Non vnus cuilibet ſtoma-

cho cognatus cibus: neque idem cuilibet palato ſapit. In menſis ipſa quoquè ſplendet prudentia, ferculorum diſcrimine, & condimento. ſuam quiſquè illic habet ad guſtum arbitram manum. Ego quod doctorum, atquè acri iudicio virorum non minori forſitan parti acceptum, aut quidèm certè non improbatum iri ſperaui, præſtare conatus ſum. (quis enim tam fatuæ confidentiæ, qui ſe credat placere omnibus poſſe?) Spem hanc meam formidine languentem vis debitæ pietatis erexit, animauitq; Vt vt mihi res cedat, patronam habebo conſcientiam, quòd & officij mei memor, & Euangelicæ pauperis viduæ ductus exemplo, quæ, Chriſto teſte, ſuas in templi gazophylacium diuitias fudit, duo quoquè minuta in Chriſtianorum oratorum theſaurum inſeruerim, demiſſo vultu, & dextera reuerenti. Si nihil hæc ad augmentum, profectò nec ad decrementum facient, nec aſpernabitur, vt ſpero, ſpectator cum Ignatio, & Xauerio ex alto Deus. Adde quòd inter multos, & eos quidèm fortaſſe criticos, ſi quis ad ætatem meam per tertiumdecimum luſtrum fugientem conuerterit oculos, inueniet ſibi locum prudentiæ, & mihi veniæ. At ſi quando in iſtius libri mei lectione offendiculum occurret, laxa menti moram, preme ore ſententiam. Turpius eſt in iudicio mendacium, quàm in typo mendum. In naturæ humanæ ſibi relictæ miſeranda conditione, nihil eſt ſtabilius caſu: Verùm ad huius rei confeſſionem mutila eſſe nequit tua, mi lector, integritas. Vale.

IN-

INDEX PANEGYRICARVM ORATIONVM.

I. IGnatij profana militia ſacræ prima origo. pag. 1.

II. Curatio vulneris medicinam Ignatij animo parat. 4.

III. Quæſito radij leuamento, Ignatius animi ſalutem inuenit. 8.

IIII. *Ignatij perfecta vitæ, morum, ſediſq; mutatio.* 12.

V. *Memoratu digna de Ignatio in Monte ſerrato.* 17.

VI. *Minoreſſæ admiranda Ignatij vitae ratio.* 21.

VII. *Minoreſſæ atrociſſima daemonum bella contra Ignatium, pugnaq; ſucceſſus.* 25.

VIII. *Venetias contendit Ignatius; inde in Palæſtinam, tùm in Hiſpaniam reuertitur.* 32.

IX. *Ignatius dat operam literis in Hiſpania, vbi eius innocentia miris modis exercita fit illuſtris.* 38.

X. *Ignatij Pariſienſia ſtudia, laborumq; fructus.* 45.

XI. *Virgarum ſupplicium Ignatij virtuti paratum.* 51.

XII. *Inauditum Ignatij factum, auocando ab obſcoenis amoribus homini.* 55.

XIII. *Lutetiæ Pariſiorum Societatis Ieſu primordia; indè Ignatij in patriam primò, tùm Romam ad ſummum Pontificem cum ſocijs profectio.* 61.

XIIII. *In Palæſtinam traiecturus cum ſocijs Ignatius, Venetias repetit. Eorum illic ac tota ditione acta; clauſoq; in Syriam aditu, Romana reuerſio, Societatiſq; Ieſu inſtitutio.* 66.

XV. *Franciſci Xauerij (rege Luſitaniæ aliquot è ſocijs Ignatij petente) in Indiam deſtinati, laudum initium. Eiuſdem in ſuo corpore cruciando portentoſum inuentum.* 72.

XVI. *Franciſcus Xauerius in valetudinario Veneto, prodigioſa caritate, homini fœdiſſima lue corrupto famulatur.* 81.

XVII. *Xauerius in Luſitaniam proficiſcitur (magno regni bono) il-*

lic

Digitized by Google

lic ſe ad iter Indicum paraturus; ac tandem iter Goam nauigantis deſcribitur. pag. 88.
XVIII. Franciſci Xauerij itinera omnia. 95.
XIX. De ijſdem itineribus Xauerij, potiſſimum verò de tranſitu lineæ æquinoctialis. 101.
XX. Xauerij acta in India. 105.
XXI. Xauerij acta in Iaponia. 111.
XXII. Franciſci Xauerij virtutes; ac primò quidem, ſumma animi demiſſio. 124.
XXIII. Xauerij animi magnitudo; conſtantia; fortitudo; angelica pudicitia; in impuro ſomnio nobilis victoria; in tractandis hominum animis ſingularis prudentia. 130.
XXIIII. Xauerij admiranda in Deum, atq; homines caritas, ac felix ex hac vita diſceſſus. 136.
XXV. Reliqua Ignatij vita Romæ acta. Eius illic in omnium hominum procuranda ſalute incredibile ſtudium, atque induſtria. 146.
XXVI. Ignatij animus omnibus virtutum numeris perfectus. 153.
XXVII. Ignatij felix obitus. 157.
XXVIII. Ignatij miracula. 165.
XXIX. Franciſci Xauerij miracula in elementis. 171.
XXX. Xauerij alia inſignium miraculorum genera. 178.

FRAN-

Digitized by Google

FRANCISCI REMONDI
DIVIONENSIS
Societatis IESV
PANEGYRICA ORATIO PRIMA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IGNATII profana militia, ſacra prima origo.

NVNC demùm noua & inaudita celebritate, coniurantibus in laudes Ignatij, & Franciſci cum coelo terris, tutiusne ſit penè iam erumpentem coercere ſilentio vocem, an cupiditate arbitra ad dicendum ora laxare; mihi profectò, ſuſpenſo pauliſper animo, conſiderāti, tàm periculoſum videtur experiri, quàm difficile iudicare. Etenim cum ſupremus Eccleſiæ Catholicæ Princeps, diuino numine afflatus, eos nuper, vt potè in coeleſti regno triumphantes, venerandos & colendos eſſe decreuerit, idq; illis a noſtra inprimis Societate peculiari, ac proprio iure debeatur, eò me adduci & compelli ſentio; ut mearum uirium conſcientiam increpante officio, metus cum temeritate contendat. Si mihi ſilentium indixero, taciturnitas ipſa fiet minimè pij, & maximè ingrati animi prædicatio, muta facundia contra ſe declamabit. Miſeranda conditio, reum in ſui damnationem, & teſtem eſſe, & patronum. Sin ad dicendum dominæ voluntati paruero, inanes frāgam ſonos, miſeraſq; voces diſperdam ad aurium faſtidium, & auræ obſtrepētis ludibrium. Digna nimiæ confidentiæ merces, ſuo laboraſſe dedecori. An exhibebo vtriuſque periculi redemptionem paucitate verborum? Ne id quidem. Iniquum eſt enim, officium corrumpere, compendij lucro; & hortante ad pietatem verecunda propenſione, ſtultum eſt à tam honeſto aleæ iactu nimio timore ſubducere manū. Vos ò noua lumina cœlo addita, quorum ſplendoribus percuſſus

Digitized by Google

cuſſus ſol ipſe lucis parens & largitor ſe condit in tenebras, & nocturna ſiderum præſes, ac ductrix, pudore obnubila, non iam vt fax per vmbras incedit, ſed aliunde mendicatam in vmbris exuit lucem. Vos qui tenebrarum imperatoribus diuina virtute profligatis, è tot gentium ac nationum mentibus teterrimam noctem depuliſtis, flectite in me iſtos oculos, a nemine vnquam auerſos, oculos, inquam, ſpei meæ iubar, ſpicula caritatis. Ex iſtis geminis radiorum fontibus, decutite rorantes in me ſcintillarum imbres, vos qui cæteris profuſa largitate flammeos torrentes propinatis. Veſtram opem imploro, egenti parate, concedite flagitanti, ut quandoquidem nefas eſt ſilere de vobis, & nimis arduum dicere, eam firmetis dubia in mente ſententiam, qua nec audacter dixiſſe videar, nec turpiter ſiluiſſe. Enimvero & hoc me omni trepidatione ſedata, animoſum reddat oportet:, quòd cum hoc tempore domina gentium Ciuitas, ſuis penè conuulſa ſedibus in laudes & gratulationes effuſa ſit, cum eloquentiſſimorum hominum præconijs templa, theatra, compita, gymnaſia perſonent, cum vrbium omnium ac prouinciarum fauſtis acclamationibus intremat cœlum, terra diſſultet, immugiat mare, aer ſurdeſcat, & conſpirantes ventorum turmę, in feſtiuo communi tripudio ſuas ſibi partes obſtinata hilaritate depoſcant; non dubito quin iſta exilis, ac tenuis oratio, mea; vt ſe ſe primum extulerit, tam vaſto ſonitu, atque auido plauſu repente ſorbeatur. Quare non ſpernetur ignota; non audita, non erubeſcet; nec ſe iactabit oppreſſa, niſi fortè fidenter inſoleſcat, dum ſua ſeruina tutatur. A te igitur, ò IGNATI, uir maxime, ac ſanctiſſime, mihi erit dicendi principium, a quo, tanquam parente, noſtra Societas duxit initium. Videre iam uideor ſplendentia Gallorum arma, inſtructos exercitus, explicatas acies; iam tubarum clangor, ac tormenti bellici fragor ad aures inſanit. Agite, ruite, potentiſſimi Celtæ. Non eſt profectò, non eſt, ad vnius Nauarræ, Hiſpaniæ anguli expugnationem; ſed ad totius orbis terræ prouincias, ab Ignatio præſtantiſſimo duce, eiuſq; ſocijs, atq; in primis a Frãciſco Xauerio Indiarum & Iaponiæ victore & gloria, non minùs felici, quàm diuerſo, nec minùs ſalutari, quàm neceſſario bellandi genere, partim tuendas, partim Chriſto Optimo Maximo ſubigendas, hic tantus veſter apparatus, hæc

tanta

tanta potentia, vireſq; conuerſæ. O diuinæ arcana prouidentiæ! O rerum maximarum latentia ſemina! quàm ſæpè vt ſecundi aduerſos, ita ſecundos aduerſi caſus trahunt. Hæ phalanges, hic equitatus, coelo indormientes excitat terras. Iam Cantabria Ignatij & Franciſci fortunatiſsima parens, ad nouorum orbium partum grauidatur. Inſta miles: vrge. Ignatio militas. tuus iſte ardor, atq; impetus, illi æquè ac tibi nunc ignotis rerum euentibus famulatur. Cingitur obſidione Pompeiopolis. clarum nomen a conditore; a defenſore præclarius. Capitur oppidum, quia capi potuit: non deditur, quia non decuit. in altero virtus, in altero fortuna, Mars in vtroque. Arx, non animus, cedit, dum tormenti bellici globo, violenter reſiliente, propugnantis Ignatij fulminata tibia agnoſcit in celo potētiam, nō in hoſte victoriam. ſternitur propemodùm exanimatum corpus; mens adſurgit animoſior. Hoſtilis manus hoſti attulit non petitam pretioſo vulnere medicinam. O quanta ſors incubuit in ignotæ ſalutis exordium! nulla vnquàm dextera, lethifero intenta ictui, tàm benè ad immortalitatem collimauit. At claudicabit Ignatius: quid tum? Animi ſtabilitas, vacillante corpore, claudicare non poteſt. Huius ſtabilitatis firmamentum a flamma, & luce eſt. Harum omen in tuo nomine, Ignati; origo diuinitus in mente; miniſterium ex inflicto vulnere. Nonne vides? nonne ſentis? crus concepto igne ex illa glande ſcintillat. Hinc cor flammam, & lucem corripit. Itaque nouus & ardens mox tibi aperietur dies. Sic olim magnus ille Patriarcha cum coeleſti quodam principe, ac milite tota nocte luctatus, ſibi percuſſo, & ſucciſo femoris neruo, è diuino aſpectu clariſsimum nomen comparauit. Huic optabilior fuit claudicatio in luce, quàm rectus in tenebris inceſſus. habet illa ſecuritatem pro comite; hic caſum pro duce. O quot in hoc nutante Ignatij crure firma cuduntur ad æternæ gloriæ iter veſtigia! O quot in inflexa modicè tibia, greſsus errantium diriguntur! O quot pes ille, ubi conualuerit, hominum concurſus concitabit! Iactet ſe glorioſus ille Pompeius, cui è lubrico Syllanæ linguæ lenocinio, ſors Magni cognomentum proiecit. ſi Latium, inquit, ſemel tantum pede pepulero, Italiam vniuerſam militibus complebo. Pepuliſti profectò, & non ſemel, cum properato turpiter ad fugam gradu, Italiam copijs viduaſti, cum

Roma.

Romanam Rempublicam, teq; tuoſq; perdidiſti, cum mendicato præteritæ arrogantiæ ad perfugium hoſpitio, tuum illud genu, tot regum oſculis adoratum, Aegyptio regulo puero flectere non dubitaſſes, niſi priùs tua illa maſcula quondam virtus fuiſſet neſcio cuius caſtrati imperio contruncata. Occubuiſti ne procumberes. Hoc a me habeto elogium. Si magnitudini tuę breue eſt; vrna minor eſt. Cornelia coniux collige cineres, & iudica. At uerò non faſtuoſo, ac tonante pedum pulſu, non opibus, armis, honoribus, audacia, non ſuperbo nutus iaculo, ac fronte procelloſa, ſed humili, ac muto gradu vagus, paupertate diues, nuditate armatus, ſui deſpicientia erectus, diffidentia ſecurus, & oris ſereniſſimi modeſto flexu syreneus Ignatius, ubi ſe, Chriſto imperante ac duce, ad Summi Pontificis pedes uenerabundus abiecerit, excito repentè terrarum ſolo, innumerabiles Catholicorum hominum cateruas coget ad uitam, enectis uitijs, meliorem capeſſendam; & denſiſſimos Orthodoxæ Religionis hoſtium, ac barbarorum nimbos, ad ſe, & ad Franciſcum certatim conuolantes, diuina luce atq; æſtu ſoluendos, inſolita uoluptate cōſpiciet. Maria omnia quà ſol ſurgit, & labitur multarum gentium ad eos confluentium naues, pietate gubernatrice, & carbaſis Numine ſpirante turgentibus intrepidas, in attonitis prona littoribus, cæteris deſpumatis mercibus, reuerenti tranquillitate deponent.

ORATIO III.

Curatio Vulneris medicinam Ignatij animo parat.

POmpeiopolim redeo. Expugnata arce, & capto Ignatio, canitur receptui. Mars ſe ſubducit in caſtra. Et ecce nouus confeſtim prodit Imperator. Vultus amorem mentiri non poteſt. Amor eſt. Huius edicto inter Hiſpanum, & Gallos alterius generis pugnæ ſpectaculum pronunciatur. Hi commiſeratione decertant, ille conſtantia. Præſentem miratur hoſtis in hoſte uictoriam. Non eſt armorum, ſed amorum generoſa contentio. Illinc magnanimitas, hinc digladiatur benignitas. Sauciantur animi, non

corpora,

Digitized by Google

corpora. O felicia uulnera quibus nulla eſt meditanda, nec quęrenda curatio. Interea Ignatius doloris ſenſum, quo caret, tranſmittit in hoſtes; quippe qui lacrymis parentare iam videntur, propemodùm certę (vt verentur) illius morti: dubia ſentétia an ſe pigeat tela uibraſſe, tanti militis malo, an præſtet dimicaſſe, tam inſigni fortitudinis experimento. Ille, contrà, morti vitam interritus libat, nec pudet certaminis pro gloria, nec tædet plagę pro patria. Rei exitus eſt in theſauris arcanorũ Dei. Generoſi Celtę, ac non minùs innata humanitate, morumq; ſuauitate, quàm animi magnitudine, ac fortitudine inſignes, iam vt video dexteras cum Hiſpano pręſtantiſſimo duce ad fœdera vobis occulta iungitis. Iam celeberrimæ Societatis IESV naſcuntur auguria. An datis beneficia Ignatio, an accipitis? Veſtra profectò fœneratur humanitas. Erit, erit aliquando illud tempus, cum nunc inſerta in Ignatio veſtræ beneuolentiæ germina, ita ſenſim adoleſcent, vt in vos ipſos, ac poſteros veſtros, propitio cœlo, maturos, & nunquàm deciduos fructus, incredibili copia fundant. Curre, curre ſanguis ex illo Ignatij vulnere, diſcrimina riuos, quibus non ſolùm Galliæ, verum etiam prouinciarum omnium campos ingenti omnium admiratione fœcundes. Deducitur tandem a Gallis ad ſuos liber Ignatius, animo nunquam captiuus. deducitur, inquam, non minus honorificè ad dignitatem, quam commodè ad valetudinem. Domi morbus ingraueſcit. Huic artis deſudat induſtria. Operoſi magiſtri, cauete parcatis. In hoc corpore (abſit verbo iactantia) terrarum orbis aliquam ſibi ſaucius medelam præſtolatur. Nolite parcere. Hæc ſunt prima & poſtrema in Ignatio veſtrę peritiæ miniſteria. Non amplius horum vſum poſcet a vobis, cum inuios ſaltus & ſtrata viarum, a ſe calcata ſauciabit; ſaxorum tamen attritu viciſſim limante plantas; cum iuga montium animi ſui celſitudini humilia proteret: cum Pyreneos, Alpes, Apenninos, non copijs, & Punico Carthaginienſium ducis equitatu, ſed ad votum voluntatis egés, ac nudis pedibus ſuperabit; non ad euertendam Romanam rempublicam, ſed ad Vrbem Chriſtiani orbis parentem ac principẽ, & ſacroſanctæ Eccleſiæ Catholicæ caput pro virili parte propugnandum: non virtute Capuanis, aut alterius prouinciæ corrumpenda delicijs, ſed inaudito incommodorum omnium, & ærumnarum genere corroboranda. Non amplius veſtra in eum ſeſe

acuet

acuet officina, cum auida tellus ſe pandet, ac ſubſternet, vt reuulſis per tot itinera eius ſulcanti pede ceſpitibus, diuino ſemine grauida, & imbuta liquore, proborum hominum ferax, diſcat ſe fieri nō poſſe meliori partu parētē: cū FRANCISCVS, reliquiq; comites, ac poſteri, eius iuſſu expediti, & exemplo impulſi, ſuis excurſionibus eluſo rerum procreatarum margine, alios ſibi terminos quærent: cum vtriuſq; orbis terræ amplitudo in ſe congeſtis aſſiduo eorum labore atq; induſtria rerum diuinarum theſauris, ſuas in ſummo gaudio deflebit anguſtias: cum denique Oceanus mortalem mercaturam pertæſus atquè immiſericordi (Syluarum excidijs) oppreſſus onerum perennitate, eorum leui vectura exultans, non vſitata profectò inſtitoribus commercij ratione, immortales animos cœlo ad felicitatem nundinabitur. Eugè ferrum, incide, ſuccide, ſcalpe, fode, vre; molire in venas, & neruos, ſcrutare fibras, & muſculos. Aude ferrum, quid times? quid refugis? non te agitas, vt olim, in Caio Mario, qui crus malè ſanum, medica ſibi manu tractari non paſſus, indignum eſſe dixit tanto dolore remedium. Qui modò tam animosè horrificū in prælio vulnus excepit, trepidabit Ignatius ad medicamentū? qui exitialia hoſtium machinamenta contempſit, amicorum ſalutaria formidabit obſequia? qui ad intenta iugulo tela non palluit, tibiæ admota Chalybis erubeſcet ad fruſtula? Conſtanti viro color vnus eſt. hoc ſolo timidus eſt Ignatius; quod timet ne timere videatur: mauult artis animoſæ tentamento audacter perire, quàm in ſuſpicionem timoris venire. Age ferrum. quæ iſta tanta ſegnities? Lambere fortaſsè malles, quàm lædere. Reuerentia non ſpernenda: iniuria non probanda. Vide, ne dum molleſcis ad tanti viri cōſtantiam, mordeas dignitatem. Exerce in eum naturæ vires: Ab hac langueſcere non didiciſti, neque ab illo vileſcere. Non parum eſt, quòd ille explicatis adhuc & fluctuantibus aura bellica vexillis, irretitum fouentis faſciæ voluminibus pedem continere poſſit. Sed heu! non vnum lethi genus, neq; vna ad ſepulchrum via. mortalitati verò nullum tribunal, quia nulla quæſtio ipſam et a ſua lege non habet priuilegiū. Ergò anniuerſario Diui Petri peruigilio recurrente, conſtans medicorum iudicium fuit, inuicta ſtante morbi pertinacia, Ignatio moriendum. Ille confeſtim Principem Apoſtolorum, quem ſemper vnicè coluerat, in ſomnis ſibi præſentem, & precari opitulantem

tulantem habuit. mox valetudine reddita, certæ mortis denunciatio a ſecura cœleſti munere vita, benemeritos remiſſa eſt ad medicos. Lapis lapidem vindicauit. Petræ ſiquidem fragmento concuſſa,& loco mota cruris oſſa Petræ beneficio coaluerunt. Quid enim aliud Hebræis Cephas, niſi petra? hoc nouum Simoni a Chriſto nomen impoſitum. Hæc Petra, Eccleſiæ fundamentum,vna cum firmitate corporei greſſus,inconcuſſam animi ſoliditatem Ignatio dabit. At ò quantum vanitatis in rebus humanis! In recenti cicatrice, & nondum ſtabili poplite fabricatur elegantia. Os è genu corneſcens aliquid indecorum gradienti minari videtur. Eſt & ſua ocreæ ambitio; illa ſe quoque ſemper ſauciam credet,niſi læui,ac tereti cruri continuè,& molliter inducatur. Oſſis ab Ignatio decernitur ſectio, ad arguti cruris,& dominæ ocreæ imperium, certi cruciatus, & dubiæ mortis pretio. Nouum vitæ diſcrimen cum præterito diſcrimine, auſpicio vitioſæ libidinis, in certamen committitur. Ergòne tanti non erit reſtituta miraculo ſanitas, hærente leuiſſima ægritudinis nota? Enimverò hanc ſaltem, vt inſignis accepti beneficij monumentum, relictam eſſe oportuit. Quid facerent medici, familiares, cognati, amici? cedendum fuit militis violentiæ. An hic plus in Ignatio conſtãtiæ,an temeritatis? temeritas quidem certè conſtantiam ſortita eſt bonam comitem, cuius virtute clypeata; ſuum tegit vitium. Verumtamen ad illam conniuet,& ad hanc ſe demittit diuina clementia. Itaque miles incolumis fit voti compos. At profectò hoc qualecumq; factum non caret emolumento. Siquidem eximiam illius naturæ dotem ſpectandam exhibet, nimirum ſtudioſiſſimæ,& fortitudinis & nitoris. Sed heus tu famule, quid nunc poſtremo miniſterio ad pedis balneolum hero concham adponis? remoue. Ille vberrimis paulò poſt lacrymis, ſibimet pedem abluet, nec tergendo linteum poſcet,apage te.

ORATIO III.

Quæſito tædij leuamento IGNATIVS *animi ſalutem inuenit.*

DVm hæc geruntur, & adhuc proroganda quies decumbenti, vt pes firmus inſiſtat, morantes tædium incuſat horas. Huic leuando incommodo aduocantur libri otio militari familiares. Horum expoſita ſupellex, quærentium eripitur oculis, inopinato fortunæ caſu, meditato diuinæ prouidentiæ furto. Non hoſtium, ſed ægritudinis violẽtia exutus armis, in armorum hiſtorijs arma repoſcis Ignati? Vulnera vulnerum commemoratione non curantur. Plerumque ad animi tranquillitatem, bellorum fraudulenta narratio eſt. Non ſunt hæc caſtra, ſed domus; non nuda humus, ſed culcitra; non locus ad excubias, ſed lectus ad ſoporẽ. Etiamne iſtis ex parietibus præliorum tibi theatra conficies? Etiamne hic oculos, ac mentem vmbratili hoſtium cæde irritabis? Etiamne in cubili ſolus, inermis, æger, pugnabis Ignati? Iuuenis Macedo Perſici euerſor imperij, ſibi ſapere videbatur, quod Iliade maritata cum pugione, pugione dexteram, animũ armaret Iliade. Sit ipſe ſuæ arbiter ſapientiæ. Sed quod hæc capiti ad quietem ſubijceret, illum equidem deſipuiſſe iudicauerim. Deus immortalis! quàm turbulentum puluinar. O fortem infelicem! militibus alto ſilentio per caſtra ad ſomnũ compoſitis; in Regio tabernaculo vigili mente, curas imperatorias tumultuari! Quietem ſeruis conceſſam, ſibi domino eripere, priùs ſibi, quàm aduerſario bellum indicere; acriùs ſecum, quã cum illo confligere; moleſtijs ac timore in eum iniecto, ſeipſum conficere; ad hoſtis ſudorem nauſeare, eius ſitire ſanguinem; vel potiùs malè ſæpenumerò ductis rationibus, illius ſudorem ſuo cruore mercari. At verò ſiquando, inſidiante natura, furtiuè ſeſe ſomnus infuderit, circumcurſare animo campos, volitare per agmina, rapi in confertos dimicãtium cuneos, animare ſuos, terrere contrarios, bacchari, furere, ruere, cædere. Vah! quidni Alexander vigil in acie, ſtrauiſſet exercitus, qui dormiens in ſtertente tentorio, ſpiritu legiones difflabat? quidni, auſpice

Digitized by Google

Lupa, indignante coelo, in Regiam Perſarum arrepta face flammas intuliſſet, qui à cena mero ſomnoq; ſepultus, Prouinciarum eructabat incedia? quidni ſeſſoris violentiam æmulante Bucephalo, in media barbarorum ſtrage, obiecta ſuperſtitione, ſe tanquam dubio patre iactaret; qui, accumbentis vinolentiam affectantibus græcis, ſe ab illis Deum, & credi, & adorari, non minus ridicula, quàm intoleranda impietate iuberet, ac cogeret. Heus tu Philippice, Iouis poſtume, pupule, tàm tu Deus, quàm Iupiter Deus. Tibi quærendum fuit à Iouis Ammonis oraculo, quis veſtrum an tu, an ille, an eius ſacerdos, delirus ſenex, ac vafer adulator, eſſet amentior. Hominum opinio non generat Deos; neq; cultus enutrit; neq; vis confirmat, ac ſtabilit. Si hæc Iliade magiſtra non didiciſti, docebit te Polyperchon, quem tu de thoro, in conuiuio ſobrium, & tuæ ſuperbię obluctantem impudentiſſime deturbaſti. Sed iſtùm mittamus. Olympias mater nati ſepulchro, ſi quod vnquàm extitit, has incide notas; *Audaciæ anteſignano, & fortunæ tyranno*. reliqua eius vitia, cineribus conſepulta, ne attigeris, ne viatorem foetore arceant. Procul igitur ab hoc Ignatij domicilio, iſtiuſmodi (ad imitandum quidem certe) veterum annalium codices. Procul hinc, multò magis, ſi quæ fortè ſunt ſingularium inſana pro laude certaminum, inſipienter edita ad animum relaxandum volumina, quibus nonnulli poetæ, ac ſcriptores, (euocatis, tanquam è ſepulchro neſcio quorum nobilium quondam equitum fabuloſis amoribus) ſua ipſimet ingenia, clariore digna monumento foediſſimè tumularunt. Procul, inquam, iſtæ bellæ nugæ, dulce malum, blandula peſtis, melleum fel, lętæ præſtigiæ, interitus temporis, otij vita, alimentum impudicitiæ, corruptela iuuentutis. Tibi verò Ignati longe diuerſi ad exemplum aduocandi Principes; alia intuenda veſtigia; alius bellandi modus vtendus. Prodeunt tandem alij duo libelli, non vocati quidem ad ſalutem præcones, ſed ſecreta Dei emiſſi manu. Vnius materia Chriſtus eſt; alterius Sanctiſſimorum virorum præclara facinora. O ſola rerum geſtarum digna commemoratio quæ nomen hiſtoriæ nobilitet! opus ipſum ſcriptori fructus ingens eſt, non aliam quærat mercedem. Suo labore ſaginetur. Non eſt quod incruſtet narrationem coloribus; quod inſpergat ſtellulis dictionum; quod ſecet verborum agmina, interiectis oratorijs gemmis. Habet illa

ſimplicitatem pro decore, pro ornamentis nuditatem,veritatem pro commendatione, pro ætate æternitatem,legentium ſalutem pro fine. Ergò, quod felix fauſtumq; ſit, hæc ab Ignatio ſumuntur non admodum trita opuſcula. Aliorum voluminum antè non illiberalis, nunc ſit ô quàm prodigè auara fortuna! ſumuntur, in quàm,leguntur, releguntur. (Obuia quælibet aqua ſiti enecto ambroſia eſt) & ecce illi cietur è cordis fundo tempeſtas. Anteactæ vitæ nocti ſe ſe moeroris adglomerant nubes. Ventorum cohors, querimoniarum partus, oppreſſo angoribus pectore abit in ſuſpiria. imbrium torrentes deuoluunt oculos, ac ſecum penè rapiunt, vt moræ impatientibus ſtrata innatent pauimentis. mens cœleſtibus verberata fulgetris æſtuat diuinæ terrore iuſtitiæ. Nouus bellator procellarum inſolens, ſeipſo doctior, pietate furente, in ſeipſum indignationum turbinibus ruit. Rugiunt ac tumeſcunt inſatiabilia plangentibus palmis pectora. Luctuoſæ mutilantur ſingultibus voces. Effractis intimorum ſenſuum repagulis, coguntur, & ipſę quoque medullę, curarum agitatione,& concuſſa per oſſa fluctuare. iuuentutis iacturam memoria refricante,acerbiſſimi doloris,ac gemituum pelagus,ſupplicij æterni horrore hiat,ſubſidit, & in cognatas inferis voragines recumbit. mox contrà, retroactis ſurſum viribus adſurgens, ſe ſe implet,& flagellatis vndarum illiſu, obmurmurantibus ſcopulis,in coelum euadens, prona ad pacem ſidera,lãguentibus illico,ac reſupinatis fluctibus ſupplex adorat, & veniã poſcit; vt tranquillatus tandem animus, & ſapientis vitæ rationem initurus, ea,quam æquor,ſuo mendax nomine,præbere non poteſt, æquabilitate, & conſtantia roboretur. O quot omni ex parte conflictus! ſpes metum, ſpem metus occupat: fluctus fluctum impellit,& reuocat. Ignatius adhuc conſilio nutans auerſatur præterita; præſentia non ſuſtinet; futura reformidat. diuerſa vtrinquè ſe ſe obiectat rerũ facies. Hinc humanę colluuiei gurgites vitiorum monſtra natantia vomunt, ac reſorbent ad aſpectum intolerando ingeſtu: illinc coelum, tametſi caligine adhuc infuſcatum,nictante aliqua ad fauorem luce, ſubindè interniteт, ſpecioſiſſimaſq; virtutum omnium formas amori conciliandæ inde trahendas, & exprimendas eſſe denuntiat. Heu! quid agat,quò ſe vertat Ignatius? Recurſant menti deriuatus è nobiliſſimis fontibus ſanguis,antiquiſſimæ familiæ ſoles, legionaria

Digitized by Google

naria honorum, ac dignitatum pompa, gloria militari parata virtute, ac diuitiarum acerui. Solicita dæmonum arte, panditur eius animo explicata ſeries voluptatum, quibus frui abundè poteſt: Ad regias menſas exquiſitiſſimorum pompa ferculorum; diſpoſitæ inter conuiuas nectareæ patellarum cohortes, laborãte ad ſeruitium naturæ penu; iugulata in cellis reconditis languentis falerni dolia; latrante canicula fractus æſtiua glacie in gemma concaua ambroſiæ liquor; ad gelidos aquilones, & aggeres nimium calente cubili, molliores accubitus, lambente capillos brumali roſa; in menſarum exordijs primitiuę laudes hyberno peponi, vernantibus per abacum hyacinthis. Laſciuientes in auribus, fidium vocularumq; coniugio varij concentus; in ædibus magnificentiſſimis Sabæorum, atque Arabum nube fumantia laquearia; lecti eburnei, atque aurei; culcitræ cuniculis molliores; ſtragulę, acu, in erraticas excurrente figuras, vermiculatę; amicorum ſuauiſſimæ conſuetudines; tempora frequentibus lacerata colloquijs; euocati in noctem dies, cœlumq; retrogradum imperante alea; mox, vbi irrequietæ voluptatis tædium noctem abegerit, cæteris mortalibus in ſuas operas, & penſa diſperſis, atque ſudantibus, nobilitatem in ſomno quærere, eumdemq; uileſcere, niſi effuſo in roſeos puluillos domino, coelum patenti luce delicatè claudatur; luxuriante interea æſtu cum aura frigida. Cæterum, vt eſt natura plurimorum hominum, præſertim regum, procerum, ac nobilium, faſtidioſiſſima, horum omnium plerumq; aliqua ſubeunte nauſea, dominos ipſos ad ſuorum agricolarũ tribunal nemine in ius vocante ſe ſiſtere; cauſam ruſticis, venaticos illos deliciarum labores demirantibus, ac ſtomachãtibus adiudicare; inter natiua hortorum periſtromata inambulare; Illuſo ſole noctem nemorum ramuſculis texere; æſtate furente, ſe ſe in exeſæ rupis hyemem abdere, ridentibus nymphis; inuiolatum prati uiridantis decorem ſtrato humi corpore violare; è graminea crepidine, fontem, ſuis ebrium liquoribus, trepidantem, & ſe in varios obliquantem riuos, placidiſſimo aſpectu haurire; Lymphis anguſto alueolo immurmurantibus, & lenocinanti auicularum cantu, Zephyriq; flabello ſoporem oculis aſpergere; Hæc ſunt oppidò, hæc ſunt, inquam, grauiſſimæ irritamenta ſenſuum, hæ terrificæ machinæ; hæ validiſſimæ obſidiones, & formidoloſiſſima prælia. Proh Deum immortalem!

iſtane igitur ab Ignatio omnia vno contrucidanda ſunt ictu? Sic eſt. Id iam ille didicit, priore illo, quem perlegit, magiſtro libello. non veni pacem mittere, ſed gladium, inquit ſalutis noſtrę auctor, ac princeps.

ORATIO IIII.

IGNATII perfecta vitæ, morum, ſediſq; mutatio.

HVcuſque contrà alios, nunc Ignatio contra ſe pugnandum eſt. nullum excogitari bellum atrocius poteſt; vtroque præſertim hoſte fortiſſimo. O non minus iucundum, quàm graue ſpectaculum! Ille idem, & vnus eſt, & geminus hoſtis. Vter vincet? ille ne, an ille? at illo ille eſt. victum igitur illum eſſe oportebit ſi contigerit eſſe victorem. at victorem eſſe neceſſe eſt, quia non alium habet contra ſe dimicantem. O quali obnoxiam inuidiæ, & contentioni triumphi gloriam, quod à nemine niſi à ſeipſo ſuperari poſſit. Animi ſenſus vocem habet pro ſimulachro; ſed illud ad viuum nemo poteſt, niſi qui ſentit, exprimere. Audire tamen mihi videor quædam interpuncta gemitibus Ignatij verba, ſecum loquentis. Iaces, inquit, Ignati, corporene magis, an animo? Illius te cicatrix penè iam obducta ſolicitum tenet, ad cruenta verò huius vulnera ſtupes? Impedem breui ſtabilem futurum, oculos identidem defigis, impendentem capiti ruinam non aſpicis? quæ tanta, & tam lethalis indolentia? In infima corporis parte neſcio quid illepidi nuiſſans exhorruiſti, in animo verò, ſuprema hominis ſede, fœditatem toleras? Totne vni tuberculo emungendo machinamenta; nulla in euellendis vitiorum radicibus cura? O durior non oſſe illo, ſed ſilice. Iam medicorum erant laſſatæ manus; iam retuſa, & detrita ferramenta; iam miniſtrorum, tui ſanguinis mulcta, ſudor exhauſtus: quid opus erat ſuperba mucronati poplitis impatientia, præteritam artem arte noua trudere, & ſolicitare pericula? non te pudet fieri liberi pedis capitale mancipium? tenè cœnoſum, ac lutulentum, longo cathenarum tractu, in ſtygias fauces importabis, te, inquàm, fœcundum perpetuæ illius voracitatis

pabulum

pabulum futurum? Tuis iamdiu debentur tormenta illa criminibus. Te non agnoſcis? non reſipiſcis? quid abrumpendæ temporis moræ conſuis moras? an expectas, vt Dei præpotentis ira iamdiù micans, furibundum vertatur in fulmen? Quid quod horrenda quidem apud inferos poenarum facies; ſed multo atrocior culparum eſt. Nulla quippe in igne turpitudo, ſed cruciatus: tantá vero eſt peccatorum vis, vt ſit omni tormento potentior. fruſtra in flagitijs abſumendis tota occupatur æternitas. lethalis noxa; niſi ſeipſam torqueat, imparem habet vltorem. At ne ipſa quidem ſui eſt vltrix. Vt enim nunquam mortua, quia ſemper mortifera; ita neque vlta, quia ſemper vltura. O nunquam ſatis deplorandum flagitioſi hominis in illa carnificina Tartarea ſtatum! quod ne hoc quidem ſibi relicto ſolatio, vt nimirum in ſeipſum crudeliſſimè deſæuiat, poſſit vnquam pro efferata voluntate, & rabido cupiditatis impetu frui. O ſacræ paginæ, ſalutis meæ Conſules, vtinam iamdiù huiuſmodi cogitationes in mentis meæ Senatum (ſi quis vnquam fuit) ac templum veſtra conuocaſſet auctoritas: illas profecto neq; armorum ſtrepitus diſpuliſſet, neq; deliciarum blandimenta flexiſſent. Miſerum me! quo mea me perduxit improbitas? dum me ipſe circumſpicio, toto corpore atque animo contremiſco. non ego Senatus virtutis, non templum Sanctimoniæ, ſed tumultuarium nequitiæ forum, atque hara ſordium. Sed inania ſint, nulla ſint, nuſquam ſint, quę modo mente volutaui; ſit omnis omnium criminum impunitas; ego nequam, mihi nequam fuerim. Heu qua fronte caput erigere auſim, quibus oculis coelum aſpicere? hoc, hoc mihi nunc pectus lancinat, cor fodicat, perimit ſenſus, quod te, te inquam, o Pater rerum conditor, o Nate noſtræ vindex ſalutis, O Spiritus fons alme incendiorum, vnam ac ſupremam Deitatis maieſtatem ego viliſſimus homuncionum omnium homulus grauiſſimè læſi; ego tua iura violaui; ego in te corporis animiq; vires, à te acceptas, petulanter intorſi. Hi oculi, manus, pedes et cæteræ partes conſtructæ ad ſtudium tibi debiti famulitij, factę ſunt inſtrumenta flagitij. Ego tibi potentiſſimo, ſapientiſſimo, amantiſſimo, infinito, opulentiſſimo, pulcherrimo, ſuauiſſimo (proſequere tu, te ſolus effari potes) tibi, inquam, alia omnia (quo illa nomine vocem?) nihili vmbram prætuli. hanc ego, Chriſte, dexteram, qua me ipſum toties funeſtaui,

etiam in teipſum armaui. ego in tuam cædem, tibi iam olim immaniter, mea cauſa, illatam, noua cæde molitus ſum. quaſi verò parum fuerit tibi vitam ſemel eripere; niſi tua mors inſtaurato, ſemper interitu fieret immortalis. Proh dolor! etiam ne humana impietas in Dei mortem crudelis eſt? Ah quoties ex illo latere, in mei gratiam tot retro ſeculis effoſſo, nouos cruoris fontes eieci! quaſi verò non ſat fuerit, (ô rem inauditam!) ad ſerui ægrotantis valetudinem, inciſas fuiſſe venas, non ſeruo, ſed domino. Ah quoties corpus iſtud tuo iam purpuratum ſanguine, cruentaui, tormenta congeminaui, plagis plagas impoſui, & tuliſti! an vt doceres, bone princeps, poſſe quidem tua vulnera, ſed non patientiam vulnerari? Diſcrucior; anime quid ceſſas? nec adhuc parricidali erumpis è carcere? Ite, ite vos ſaltem ex iſtis oculis vicariæ lacrymæ: nouus è vobis ſurgat, & exſudet oceanus: & quia hucuſque in vobis natare non didici, me precor obruite. hic me naufragum malo, quàm natatorem. Sed heu! quid ex hoc ſperem naufragio? Immenſa vndarum moles poteſt illa quidem (grauioribus tamen dignum poenis) opprimere peccatorem, peccatum verò ipſum eluere minimè poteſt. O me amplissimè perditum, qui bono meo perire non poſſum! O me cumulatè miſerum, cui miſerum eſſe non licet cum lucro! Proh Deum immortalem! quantum in humana labe foeditatis, cui delendæ, mactato Deo, in nouum balnearum genus, ſanguinis ductus è coelo neceſſario deuocandus. O quanta in hominis crimine in deum iniuria; cui pro meritis vlciſcendæ, ne Dei quidem furentis armata uis ſufficere quodammodo poteſt! Te per ego pietatem Chriſte tuam, qua me nunc excitas, & vitali luce perfundis; per tuam te potentiam, qua fulmina in me toties penè rueutia, increpata frænaſti, ac fregiſti precor atq; obteſtor, da veniam, & affer opem: tua pietas ſanguinei ſtillulam roris meis inſpergat maculis, & euaneſcent. ſit tua mihi potentia munimento vt cum mea crimina tuo beneficio minora ſint, & quolibet ſupplicio maiora, uiuam, & valeam, vltore beneficio, deficiente ſupplicio. Me poſthac, te fauente, vt anteà peccantem, nec coelum ſpectabit, neque terra ſuſtinebit. Stat hæc altè defixa in corde ſententia. Salue vitæ dies, o meæ primum ver renaſcentis ætatis! o diſcuſſa tandem mentis caligine, conſpicua nouiſſima ſidera! o deterſa vaniſſimis imaginibus memoria, ia-

Digitized by Google

culatrices coeleſtium pulchritudinum amicabiles inſidiæ! o meliorum ardorum beatæ Vulcaniæ, languor amabilis! O caſtiſſimi amores, animorum robuſta deliquia, obſcoenis cupidinibus iugulatis, de me iam libero dominatu triumphantes! Ah! quo me nunc rapit inſolens impetus, ambigua feliciter non minùs morte, quàm vita! hæccine, o ſalutarium plagarum imperator, ſauciati abs te cordis foedera? Ah quæſo, ne me ancipitem patere. fac me, tibi ſemper vinctum, & ſubactum, ad te trahant mors, & vita iugales. in altera, ſine altera ad hoc iugum nulla uis. Sed quid nunc, inuiſo temporis interuallo, tamdiu ſuſpirat foecundus ad amoris partū dolor? necdum amor impulſu mētis, & hac verborum tuba ciente, ſe ſe accingit ad decreta molimina! eia vero, en me proripio ex hac ſentina. Valete palatia, aureorum mancipiorum vaſtiſſimi carceres. Valete ædium laxitates, ſubſannante ſereniſſimi coeli immenſitate, nebuloſa gurguſtia. Valete acerbiſſimarum gymnaſia voluptatum. Valete Tantalea triclinia. Valete cathenatæ libertates. Valete quiſquiliarum theſauri, mundiſſimum coenum, odoratiſſimi putores, amoeniſſima ſenticeta. Valete nugarum, fabularum, ſimulationum, fraudium nundinæ. immo vero, o Vale, tu quoque vale. Ipſi etiam Vale, vt video, vale dicendum eſt. Miſeriarum quippe talium nomenclatura, huius felicis Vale numerum deuorat. In illis recenſendis, & exponendis, mentitur veritas, & ſterileſcit eloquentia. Tibi verò nouitatis meæ ſapientiſſime gubernator, ac prępotens architecte, gratias ago quantas maximas eo ipſo poſſum, quia non poſſum, quòd poſt tot curarum fluctuationes, colluctationes ventorum, procellarum fremitus, & turbulentiſſimas tempeſtates, quæ per te in meam incolumitatem, redundarunt, in tranquillo, & ſecuro portu, è mei corporis reſtaurata ruina, animo domicilium ſalutis erexeris. Hæc, & alia huiuſcemodi mente voluenti, & ſecum diſſerenti, benigniſſima Dei parens, natum geſtans vlnis, ſe ſe clara in luce videndam offert Ignatio. ſolatur Ignatium, Ignatio iam hoſtem factum, & nato amicum. Animi, & corporis integra eſt conſtitutio diuinitus ab illo recuperata. Attulit animo corpus, corpori animus mutuo, & non ingrato miniſterio ſanitatem. Quin etiam Virgo, virginum ſatrix, & cuſtos, in hoc praſtantiſſimo viro tam viuidum, ferax, ac nobile ſemen caſtitatis iniecit, vt firmiſſimis radicibus actis, pu-

diciſſimæ

diciſſimæ liliorum niues nullo vnquã, vel tenui halitu maculoſo ſuffundi potuerint. Adhuc tamen aliquod ſibi ſpatium temporis indulget, tum perficiendo, ad ſalutares peregrinationes, & inſtitutum ſanctè viuendi genus valetudinis negotio, tum recenti ad pietatem foetui, vtriuſq; illius libri vbere, lactãdo. Sed quis, niſi coecus, fugata nocte, diem non videat? domeſtici oculos habent conſanguinei acutiores. VIRTVS hoc ſolo infenſa eſt ſibi, quòd ſe ſe dum occulit, prodit. frater natu maior, minor ſapientia, rem veritus, Ignatium, fratrum minimum, animo maximum, aggreditur: eius mentem explorare nititur, ac de ſententia deijcere. opere monet maximo, & vehementer obteſtatur, viderit quid agat; meminerit de ſe, QVIS, VNDE, & QVO. Ille, quamquam coecus ad generis ſplendorem, ſurdus, ad maiorum præconia; ſcopulus ad preces, pumex ad lacrymas, cadauer ad promiſſa, ventus ad minas. tamen non minùs prudenti, quam ancipiti dato reſponſo, diſceſſum officio prætexit: viſendum ſibi, Nauarreti, amicum Naiadæ Ducem. Cedit domo, funeſta illa quidem, quia ſeipſum mortuum effert. nulla hic præfica (hoc ſcilicet deerat humano generi ad inſaniam, mentiri mortuis) nulla, inquam, prefica, iam ſenſim ingruentibus toti familiæ ſuſpenſæ, & vaticinanti, dolorum nubibus, ad non extortum imbrem ſimulatæ lacrymæ. Tum Nauarreti relicto comitatu, ſolus, ne conſilij ſui veſtigium faciat, Barcinonem rectà tendit, indè Hieroſolymam ſoluturus. Profiſcere felix Ignati: ſed priùs ex itinere, ad nouos, & ſaniores tuos amores, ad ſacram ſcilicet beatiſſimæ Virginis tuæ patronæ ac dominę, celeberrimã ædem à Monteſerrato. Interea caue tibi, non timido, ſed irato: obuium habes canem, Maurum, perfidum, impium, Cerberum, inquam, Deipare virginitati oblatrantem, illam ſcilicet à partu libatam fuiſſe, rabidè vlulantem. tempera iuſtiſſimæ iræ: coerce machæram: minare pugioni. non hæc eſſe debent nouæ militiæ tirocinia: ad longe diſſimile bellum deſtinaris. non tibi galea poſthac, non lorica, non clypeo, non ferro pugnandum. Hoc a te mater non admittit obſequium; cuius filius olim diſtricti à Petro gladij reiecit officium. Ignatius, non minùs animo, quàm itinere biuius, hæret, ſecum agitans, an tam atrocem blaſphemiam inultam patiatur: tamen viſum meliùs, ad bifidum tramitem equum ſiſtere, ardente ſeſſore, generoſum efflantem ſpiritum, toto

micantem corpore, & iam Mauro ſepulchrum vngula fodientē; mox laxatis habenis, equinæ aleæ, quà ſors illum flexerit, blaſphemi vitam ſubijcere. Sed diuina prouidentia iumento rem deliberandam committit. illud pedibus it in contrariam alteri iumento ſententiam. ſua cuique ſemita libera manſit. iudicium ſua ſponte peractum eſt. Mauro cædes adempta; cædis cura Ignatio. in hoc Dei ſapientia, in illo benignitas fulſit. Hic primum, & non obſcurum tui, vir fortiſſime, in coeli terræq; reginam ſtudij trophæum perpetuò ſtabit. In eo pendebit effigies enſis, non mauri ſanguine imbuti, ſed tua pietate coruſci. Enſis non exertus ad vindictam, ſe prodet ad gloriam. In hoc biuij capite diſcet ex te viator, quæ tenenda ſit ad coelum via.

ORATIO V.

Memoratu digna de Ignatio in Monte ſerrato.

VEntum eſt ad Montē ſerratum. Nouus hoſpes ad templi veſtibulum vẽrabūdus, ac pronus aduoluitur. Dubio ingreſſu, reuerentiam ſtimulus debiti cultus intrò intulit. Niſi cor illius antè aduentum face diuina emollitum fuiſſet, in media illa rupe templo imminente, & à puero Ieſu (coeleſti quodam, vt memorant, oſtento) diſſecta, diffractum, ac diſſiliens, inter montis ſalebras ſe ſe pro loci ſanctitate ſparſiſſet peregrinorum pedibus proculcandum. Et vos, ò ſilices, ad tot è dolore, & amore ſuſpiria, gemitus, obſecrationes duritiem obſtinauiſtis? At mouere ille potuit animum virginis, & ad ſua vota flectere. Nati etiam rigor elanguit: ſagittæ cecidere de manibus; ijs tantum retentis, quas ad vitales plagas ab illius humero nunquam diſſociabilis pharetra condit, & amica exercet dextera. Hic oculorum oſtia iterum recluduntur ad riuos. Cætera Montis ſerrati adamantina ſaxa ſcindite ſinus: fatiſcite rupes. & quidem ſi vos natura fecit aquarum infoecundas, hoc lacrymarum fonte in veſtra viſcera deducto, diſcite parere. Hic illum vidiſſes hiſpanico nobilium quōdam militiæ tironum more, tota nocte peruigilem, & ſibi ipſi agentem excubias, & multò quidē tutiores; licet aduerſus hoſtē

non minùs aſtu,quàm potẽtia,odio,& immanitate formidabilẽ. Hoc habent Dei amatores,& cultores eximij, vt res profanas in diuinos transferant vſus; & curas inanes ad ſolida ſtudia. felix commutatio,minori labore,maiore lucro. dulcis negotiatio,& quieta,non vetito foenore,ſed copioſo vtriuquè prouentu. Hic ad templi parietem ſuſpendit anathema,enſem,& pugionem;alteri iam adſcriptus meliori militiæ. Memini apud poetarum principem,Teucrorum ducis. ad montem Leucatæ,poſtibus aduerſis fani Apollinei, hoſtilem clypeum, atque arma figentis, hoc inſcripto carmine,

Aeneas hæc de Danais victoribus arma.

Iſte ſuum dedecus in aliena erigit laude. niſi forte cytharoedo Apollini,cincinnato, ac molli Phrygiæ tutelari, malè defenſam exprobrat Troiam. At verò tuo huic donario, miles fortiſſime, aliena manus, (tuam vetante modeſtia) contrarium prætendat verſiculum,

Hæc de ſe, & mundo victis, Ignatius arma.

Hic expiatis ſacra Confeſſione totius vitæ peccatis, & diuino corporis Chriſti epulo paſtus, munda; & ſaginata victima, ſe ſe ad aram precibus oneratam immolat, voto perpetuæ caſtitatis virginum imperatrici nuncupato. Ab eo tempore, nullus illi ampliùs tota vita corporis ſenſus ad inhoneſtam cupidinem.pars præmij præcurrit tempus; dum exutus quodammodo corpore animus degit in terris. Coelum ne te iacta. Incolæ coeli, ſi quę in veſtram felicitatem cadit inuidia, hanc habetote. Hic deniquè poſtremum quoddam Ignatij factum memorabile. Cæteri victores opima de hoſtibus victis ſpolia capiunt: ille de hoſtibus triumphatis exuuias abijcit. detractis ſiquidem ſibi ſumptuoſis veſtibus,mendicum quendam, ac lacerum, ibi fortè adſtantem induit, amplis pauperem, victoriæ minimè participem,ſpolijs ditat,poſito habitu honoratior,quàm pauper accepto. Hic victus, qui rem auidè arripuit: ille victor, qui contempſit. alter miſer, quia ſe diuitem vellet; alter felix, quia ſe pauperem mauult; mendicitate magno pretio empta, in gratiam illius,qui cum diues eſſet,ſe noſtra cauſa vltrò mendicum fecit. Inſani,quiqui eſtis hominum, vobiſne inglorium videtur mendicare cum Deo? Immò id ſolùm nunc dolet Ignatio,quod nequeat, quia non decet, nudus incedere. At poteſt tamen, quia cupit

poſſe.

poſſe.diuinus amor cum rationis officio colludit; dum id quod re fieri nequit, voluntate peragitur. ſtat meritum facti, obſtante facto. Ergo iumento reliquiſq; impedimentis clàm a ſe prorſus abactis, induit ſe ſacco, fune præcingit, baculo inſignit. Bonus peregrinus, ò quàm expeditus! niſi fortè Zonam illam grauat aquæ cucurbita. Strenuus quoque Chriſti miles, quàm benè inſtructus! Habet Saccum pro lorica, funem pro cingulo militari, baculum pro telo, cucurbitam pro commeatu. Procede Ignati ad bellum. non tibi cum vnius tantum Philiſtæi gigantea mole certandum. conuerte oculos ad Aquilonem, reſpice, hoc ipſo prorſus tempore, non prodeuntes ex Aetnæo monte gigantas, ſed ex Orci cauernis ſurgentia horrifica monſtra, Lutheros, Caluinos, Zuinglios, Oecolampadios, Illyricos, Buceros, Melanctonas, Munſteros, Kemnitios (nomina aurium tonitrua) Hęc tibi, tuiſq; poſteris profliganda portenta. Procede, inquam, tu primus, tu anteſignanus, tu dux, tuorumq; imperator inuictus; congredere inprimis cum Tartareo humani generis hoſte, atque omnis perfidiæ capite; non primi Hebræorum regis ſepultus in armis, ſed aëreo paſtoris adoleſcentuli tripudiantis velatus amictu; euerte illam ſuperbiæ molem. erit tibi funis iſte pro funda, & PETRVS pro lapide. Iam verò vt ad maiora poſtmodum mea tecum progrediatur oratio, nunc priùs Minoreſſam vulgo Manreſam properemus. Sed eccè neſcio quis, auctoritate magiſtratus, ſolicitè conſequutus Ignatium, ſciſcitatur, nũquid ſuas veſtes cuipiam donauerit. fatetur Ignatius. Supplicium imminens mendicus euaſit. O ſucceſſum è, pene dicam infelici, caritate, non minùs miſerandum, quàm ridiculum! Illi, reo furti facto, idem fuit deprehendi, & comprehendi. Quid faceret? pretioſa veſtis, pannoſum accuſabat. ſolam habebat pro patrono innocentiam. Sed hæc in Iudicio fruſtrà loquitur, quia ſine teſte non auditur. à culpa, non à poena immunis eſt. Si damnatus fuiſſet, præ incredibili ſtupore, & doloris atrocitate, præuia morte patibulum feſelliſſet. Hoc igitur vtcumquè perfunctus periculo, & reuocato, quem penè liquerat ſpiritu, quidpiam tale apud ſe cornicari viſus eſt; Hau! quantæ turbellæ in pauperem repentè opulentum. Sed necdum metu omni exemptus ſum. Omnia mea mala mecum porto. Hæc indumenta æſtum curarum augent, & formidinis algorem non minuunt. Magnificè perij. Hæreo in luto gnaui-

ter, o me bardum,& bucconem, quem in has tricas conieci! fungus ſum, vt video, momentò natus è ſpreto, & calcato a viro ſapiente pingui ceſpite. Quid agam? ſi has veſtes reliquero, nudus ſum; ſi retinuero, fur ſum; ſi diſtraxero, fur ſum. Tribunal ſuſpiciones hominum non ſtrangulat, neque iudicis ſententia maleuolorum iudicia amputat. quantum ad hæc; reſtis, & ſecuris feriantur,& carnifex oſcitat. Hei mihi! peſſumdedi mea, & non poſſideo aliena. Cæterorum egenorum oculi me deuorant. furum manus pruriunt. & quod omnium grauiſſimum eſt, fame pereo. pompæ veſtiariæ fumo non paſcor: nec eſt qui dare velit ſplendido ſtipem. quis enim credat mendicum in ſerico? Pereant iſtæ veſtes. præſtat in panno viuere, quàm in auro mori; ſetis pungi, quàm gemmis tundi; dormire in palea, quàm vigilare in roſa. malo me fruſtulentæ leuitatis meæ, quam regij ponderis baiulum. Abeant iterum in maximam malam rem iſta indumenta. Ah! ignoſce, quiſquis es, non enim alium te, niſi ſanctum, ac nobilem virum exiſtimo. Ignoſce, inquam. Si mea me ſtultitia anxium tenet, tua pietas non dimittet ingratum. Si ſors inopiæ meę ſemper amica, nunc me tanquam aulicum quempiam nitentem non agnoſcit, vehementius angor, quòd Chriſti amore, & tui odio inopem ſponte factum, mihiq; beneficum, te non nouerim. ſi noſſem, profectò non ſolum ad abeuntem feſtinus accurrerem, verū etiam tuo eſſem lateri ſemper affixus. At enimuero in hoc meo infortunio ſors mei non planè oblita, inuſitatam, & nunquàm antea mihi præbitam largitur eleemoſynam: quòd nimirum tuo magiſterio diſcere incipio, quàm vera ſint malorum ſemina, in mentita bonorum ſpecie: quantæ calamitates in ſegetem fruſtrà ſperati fructus fallacem augurem: quàm ſtabiles curę in gaudio labili: quanta moleſtiarum congeries in nihilo. Sapis heros egregie. Ego nunc in tua veſte tanquam in carcere habito: tu exultas vagus in mea. tuæ mihi chirothecæ ſunt manicę; periſcelides, vincula; calceoli, compedes. tu ſolutus, tu liber, tu nudo pede quà,& quò diuinus te ſpiritus agit, excurris. ego nobili ornatu fures accerſo; tu vili ſacco fugas. me pauor comitatur, te ſecuritas. Egeſtate prætereunte, latrones in ſyluis otiantur: at verò ad argenteas ſarcinas certatim conuolant: vectorem exonerant miſericordes, ne fortè ſuccumbat. Væ marſupijs auro grauidis. O quot obſtetrices ad partum! Sed quid

tamdiù

tamdiu blatero? ſum nimium loquax. Hoc innatum hominibus, vt improuiſo oppreſſi caſu muteſcant; emerſi, largiter garriant. Vir ſancte, maiori me dono poſt hac afficies, ſi Deum oraueris, vt mea ſorte contentus, corporis neceſſitati, quantum oportet, indulgeam, & animæ ſaluti quantum poſſum, ſtudeam.

ORATIO VI.

Minoreſsæ admiranda Ignatij vitæ ratio.

Sed ne diutius homo minimè malus nos detineat; cœptum proſequamur iter. Paulò poſt igitur Minoreſſam ingreſſum Ignatium Barcinonenſis peſtilentia, non ſine Numinis conſilio, remoratur, longiori tempore, quàm ille crediderit, breuiori quam oppidani voluiſſent. In hoc oppido integer ferè annus exactus eſt. Barcino, ſuo ipſa malo, facta eſt vrbium omnium, locorumq; medicatrix. Animorum quippe lues, corporea peſte plures habet funerum vaſtitates. nihil facilius vulgatu; nihil curatu difficilius. Quapropter interea Minoreſſæ diſquirenda fuere Ignatio, & comparanda remedia corruptis hominum moribus, ſumma virium contentione ſanandis. Illic ſpatium temporis opportunum, & commodum diuinitus datum. Attamen vacandum ſibi primum eſt; tùm cæteris prouidendum. Nihil mundius, nihil incontaminatius eſſe oportet eo, qui aliorum marcidæ mentis vlcera, & inueteratæ cõſuetudinis oſſa purulentè limoſa cædere, & auerruncare aggreditur: ne illum quoquè cum alijs, feralis gladius ſtultè ſibi accito interitu inuoluat. Contagio triumphat in vitijs. in hæc, ab ipſis mundi incunabulis, eius primum, & ſummum imperium. Cœlum perrupit, & infecit. mox in noſtrum orbem incubuit: compendium amœnitatis, ac deliciarum, primis parentibus ſepoſitum, è terrarum ſolo expunxit. indè fœdiſſima eius proluuies in omnes gentes propagata. De animi tabe loquimur. hac percuſſis viatoribus non patet aditus ad arcem intactæ ſanctitatis operosè munitam; vigili cuſtode ad portas, & ad mœnia ſpeculatore fideli. Adiacentibus tamen ægrotis, iuge foris, & ſedulum exhibetur obſequium, ſed vitatur periculum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

iſtane igitur ab Ignatio omnia vno contrucidanda ſunt ictu? Sic eſt. Id iam ille didicit, priore illo, quem perlegit, magiſtro libello. non veni pacem mittere, ſed gladium, inquit ſalutis noſtrę auctor, ac princeps.

ORATIO IIII.

IGNATII *perfecta vitæ, morum, ſediſq; mutatio.*

HVcuſque contrà alios, nunc Ignatio contra ſe pugnandum eſt. nullum excogitari bellum atrocius poteſt; vtroque præſertim hoſte fortiſſimo. O non minus iucundum, quàm graue ſpectaculum! Ille idem, & vnus eſt, & geminus hoſtis. Vter vincet? ille ne, an ille? at illo ille eſt. victum igitur illum eſſe oportebit ſi contigerit eſſe victorem. at victorem eſſe neceſſe eſt, quia non alium habet contra ſe dimicantem. O quale obnoxiam inuidiæ, & contentioni triumphi gloriam, quod à nemine niſi à ſeipſo ſuperari poſſit. Animi ſenſus vocem habet pro ſimulachro; ſed illud ad viuum nemo poteſt, niſi qui ſentit, exprimere. Audire tamen mihi videor quædam interpuncta gemitibus Ignatij verba, ſecum loquentis. Iaces, inquit, Ignati; corporene magis, an animo? Illius te cicatrix penę iam obducta ſolicitum tenet, ad cruenta verò huius vulnera ſtupes? Impedem breui ſtabilem futurum, oculos identidem defigis, impendentem capiti ruinam non aſpicis? quæ tanta, & tam lethalis indolentia? In infima corporis parte neſcio quid illepidi nutans exhorruiſti, in animo verò, ſuprema hominis ſede, fæditatem toleras? Totne vnit tuberculo emungendo machinamenta; nulla in euellendis vitiorum radicibus cura? O durior non oſſe illo, ſed ſilice. Iam medicorum erant laſſatæ manus; iam retuſa, & detrita ferramenta; iam miniſtrorum, tui ſanguinis mulcta, ſudor exhauſtus: quid opus erat ſuperba mucronati poplitis impatientia, præteritam artem arte noua trudere, & ſolicitare pericula? non te pudet fieri liberi pedis capitale mancipium? tenè coenoſum, ac lutulentum, longo cathenarum tractu, in ſtygias fauces importabis, te, inquam, fœcundum perpetuæ illius voracitatis

pabulum

pabulum futurum? Tuis iamdiu debentur tormenta illa criminibus. Te non agnoſcis? non reſipiſcis? quid abrumpendæ temporis moræ conſuis moras? an expectas, vt Dei præpotentis ira iamdiù micans, furibundum vertatur in fulmen? Quid quod horrenda quidem apud inferos poenarum facies; ſed multo atrocior culparum eſt. Nulla quippe in igne turpitudo, ſed cruciatus: tantá vero eſt peccatorum vis, vt ſit omni tormento potentior. fruſtra in flagitijs abſumendis tota occupatur æternitas. lethalis noxa, niſi ſeipſam torqueat, imparem habet vltorem. At ne ipſa quidem ſui eſt vltrix. Vt enim nunquam mortua, quia ſemper mortifera; ita neque vlta, quia ſemper vltura. O nunquam ſatis deplorandum flagitioſi hominis in illa carnificina Tartarea ſtatum! quòd ne hoc quidem ſibi relicto ſolatio, vt nimirum in ſeipſum crudeliſſimè deſæuiat, poſſit vnquam pro efferata voluntate, & rabido cupiditatis impetu frui. O ſacræ paginæ, ſalutis meæ Conſules, vtinam iamdiu huiuſmodi cogitationes in mentis meæ Senatum (ſi quis vnquam fuit) ac templum veſtra conuocaſſet auctoritas: illas profecto neq; armorum ſtrepitus diſpuliſſet, neq; deliciarum blandimenta flexiſſent. Miſerum me! quo mea me perduxit improbitas? dum me ipſe circumſpicio, toto corpore atque animo contremiſco. non ego Senatus virtutis, non templum Sanctimoniæ, ſed tumultuarium nequitiæ forum, atque hara ſordium. Sed inania ſint, nulla ſint, nuſquam ſint, quę modo mente volutaui; ſit omnis omnium criminum impunitas, ego nequam, mihi nequam fuerim. Heu qua fronte caput erigere auſim, quibus oculis coelum aſpicere? hoc, hoc mihi nunc pectus lancinat, cor fodicat, perimit ſenſus, quod te, te inquam, o Pater rerum conditor, o Nate noſtræ vindex ſalutis, O Spiritus fons alme incendiorum, vnam ac ſupremam Deitatis maieſtatem ego viliſſimus homuncionum omnium homulus grauiſſimè læſi; ego tua iura violaui; ego in te corporis animiq; vires, à te acceptas, petulanter intorſi. Hi oculi, manus, pedes et cæteræ partes conſtructæ ad ſtudium tibi debiti famulitij, factę ſunt inſtrumenta flagitij. Ego tibi potentiſſimo, ſapientiſſimo, amantiſſimo, infinito, opulentiſſimo, pulcherrimo, ſuauiſſimo (proſequere tu, te ſolus effari potes) tibi, inquam, alia omnia (quo illa nomine vocem?) nihili vmbram prætuli. hanc ego, Chriſte, dexteram, qua me ipſum toties funeſtaui,

etiam

Digitized by Google

etiam in teipſum armaui. ego in tuam cædem, tibi iam olim immaniter, mea cauſa, illatam, noua cæde molitus ſum. quaſi verò parum fuerit tibi vitam ſemel eripere, niſi tua mors inſtaurato ſemper interitu fieret immortalis. Proh dolor! etiam ne humana impietas in Dei mortem crudelis eſt? Ah quoties ex illo latere, in mei gratiam tot retro ſeculis effoſſo, nouos cruoris fontes eieci! quaſi verò non ſat fuerit, (o rem inauditam!) ad ſerui ægrotantis valetudinem, inciſas fuiſſe venas, non ſeruo, ſed domino. Ah quoties corpus iſtud tuo iam purpuratum ſanguine, cruentaui, tormenta congeminaui, plagis plagas impoſui, & tuliſti! an vt doceres, bone princeps, poſſe quidem tua vulnera, ſed non patientiam vulnerari? Diſcrucior; anime quid ceſſas? nec adhuc parricidali erumpis è carcere? Ite, ite vos ſaltem ex iſtis oculis vicariæ lacrymæ: nouus è vobis ſurgat, & exũdet oceanus. & quia hucuſque in vobis natare non didici, me precor obruite. hic me naufragum malo, quàm natatorem. Sed heu! quid ex hoc ſperem naufragio? Immenſa vndarum moles poteſt illa quidem (grauioribus tamen dignum poenis) opprimere peccatorem, peccatum verò ipſum eluere minimè poteſt. O me ampliſſimè perditum, qui bono meo perire non poſſum! O me cumulatè miſerum, cui miſerum eſſe non licet cum lucro! Proh Deum immortalem! quantum in humana labe foeditatis, cui delendæ, mactato Deo, in nouum balnearum genus, ſanguinis ductus è coelo neceſſario deuocandus. O quanta in hominis crimine in deum iniuria; cui pro meritis vlciſcendæ, ne Dei quidem furentis armata uis ſufficere quodammodo poteſt! Te per ego pietatem Chriſte tuam, qua me nunc excitas, & vitali luce perfundis; per tuam te potentiam, qua fulmina in me toties penè rueutia, increpata frænaſti, ac fregiſti precor atq; obteſtor, da veniam, & affer opem: tua pietas ſanguinei ſtillulam roris meis inſpergat maculis, & euaneſcent. ſit tua mihi potentia munimento vt cum mea crimina tuo beneficio minora ſint, & quolibet ſupplicio maiora, uiuam, & valeam, vltore beneficio, deficiente ſupplicio. Me poſthac, te fauente, vt anteà peccantem, nec coelum ſpectabit, neque terra ſuſtinebit. Stat hæc altè defixa in corde ſententia. Salue vitæ dies, o meæ primum ver renaſcentis ætatis! o diſcuſſa tandem mentis caligine, conſpicua nouiſſima ſidera! o deterſa vaniſſimis imaginibus memoria, ia-

culatrices

culatrices coeleſtium pulchritudinum amicabiles inſidiæ! o meliorum ardorum beatæ Vulcaniæ, languor amabilis! O caſtiſſimi amores, animorum robuſta deliquia, obſcoenis cupidinibus iugulatis, de me iam libero dominatu triumphantes! Ah! quo me nunc rapit inſolens impetus, ambigua feliciter non minus morte, quàm vita! hæccine, o ſalutarium plagarum imperator, ſauciati abs te cordis foedera? Ah quæſo, ne me ancipitem patere. fac me, tibi ſemper vinctum, & ſubactum, ad te trahant mors, & vita iugales. in altera, ſine altera ad hoc iugum nulla uis. Sed quid nunc, inuiſo temporis interuallo, tamdiu ſuſpirat foecundus ad amoris partū dolor? necdum amor impulſu mētis, & hac verborum tuba ciente, ſe ſe accingit ad decreta molimina! eia vero, en me proripio ex hac ſentina. Valete palatia, aureorum mancipiorum vaſtiſſimi carceres. Valete ædium laxitates, ſubſannante ſereniſſimi coeli immenſitate, nebuloſa gurguſtia. Valete acerbiſſimarum gymnaſia voluptatum. Valete Tantaleæ triclinia. Valete cathenatæ libertates. Valete quiſquiliarum theſauri, mundiſſimum coenum, odoratiſſimi putores, amoeniſſima ſenticeta. Valete nugarum, fabularum, ſimulationum, fraudium nundinæ. immo verò, o Vale, tu quoque vale. Ipſi etiam Vale, vt video, vale dicendum eſt. Miſeriarum quippe talium nomenclatura, huius felicis Vale numerum deuorat. In illis recenſendis, & exponendis, mentitur veritas, & ſterileſcit eloquentia. Tibi verò nouitatis meæ ſapientiſſime gubernator, ac prepotens architecte, gratias ago quantas maximas eo ipſo poſſum, quia non poſſum, quòd poſt tot curarum fluctuationes, colluctationes ventorum, procellarum fremitus, & turbulentiſſimas tempeſtates, quæ per te in meam incolumitatem, redundarunt, in tranquillo, & ſecuro portu, è mei corporis reſtaurata ruina, animo domicilium ſalutis erexeris. Hæc, & alia huiuſcemodi mente voluenti, & ſecum differenti, benigniſſima Dei parens, natum geſtans vlnis, ſe ſe clara in luce videndam offert Ignatio. ſolatur Ignatium, Ignatio iam hoſtem factum, & nato amicum. Animi, & corporis integra eſt conſtitutio diuinitus ab illo recuperata. Attulit animo corpus, corpori animus mutuo, & non ingrato miniſterio ſanitatem. Quin etiam Virgo, virginum ſatrix, & cuſtos, in hoc præſtantiſſimo viro tam viuidum, ferax, ac nobile ſemen caſtitatis iniecit, vt firmiſſimis radicibus actis, pu-

dicitiſſimæ

dicissimæ liliorum niues nullo vnquã, vel tenui halitu maculoſo ſuffundi potuerint. Adhuc tamen aliquod ſibi ſpatium temporis indulget, tum perficiendo, ad ſalutares peregrinationes, & inſtitutum ſanctè viuendi genus valetudinis negotio, tum recenti ad pietatem foetui, vtriuſq; illius libri vbere, lactãdo. Sed quis, niſi coecus, fugata nocte, diem non videat? domeſtici oculos habent conſanguinei acutiores. VIRTVS hoc ſolo infenſa eſt ſibi, quòd ſe ſe dum occulit, prodit. frater natu maior, minor ſapientia, rem veritus, Ignatium, fratrum minimum, animo maximum, aggreditur: eius mentem explorare nititur, ac de ſententia deijcere. opere monet maximo, & vehementer obteſtatur, viderit quid agat; meminerit de ſe, QVIS, VNDE, & QVO. Ille, quamquam coecus ad generis ſplendorem, ſurdus, ad maiorum præconia; ſcopulus ad preces, pumex ad lacrymas, cadauer ad promiſſa; ventus ad minas, tamen non minùs prudenti, quam ancipiti dato reſponſo, diſceſſum officio prætexit: viſendum ſibi, Nauarreti, amicum Naiadæ Ducem. Cedit domo, funeſta illa quidem, quia ſeipſum mortuum effert. nulla hic præfica (hoc ſcilicet deerat humano generi ad inſaniam, mentiri mortuis) nulla, inquam, præfica, iam ſenſim ingruentibus toti familiæ ſuſpenſæ, & vaticinanti, dolorum nubibus, ad non extortum imbrem ſimulatæ lacrymæ. Tum Nauarreti relicto comitatu, ſolus, ne conſilij ſui veſtigium faciat, Barcinonem rectà tendit, indè Hieroſolymam ſoluturus. Profiſcere felix Ignati: ſed priùs ex itinere, ad nouos, & ſaniores tuos amores, ad ſacram ſcilicet beatiſſimæ Virginis tuæ patronæ ac dominę, celeberrimã ædem à Monteſerrato. Interea caue tibi, non timido, ſed irato: obuium habes canem, Maurum, perfidum, impium, Cerberum, inquam, Deiparæ virginitati oblatrantem, illam ſcilicet à partu libatam fuiſſe, rabidè vlulantem. tempera iuſtiſſimæ iræ: coerce machæram: minare pugioni. non hæc eſſe debent nouæ militiæ tirocinia: ad longe diſſimile bellum deſtinaris. non tibi galea poſthac, non lorica, non clypeo, non ferro pugnandum. Hoc a te mater non admittit obſequium, cuius filius olim diſtricti à Petro gladij reiecit officium. Ignatius, non minùs animo, quàm itinere biuius, hæret, ſecum agitans, an tam atrocem blaſphemiam inultam patiatur: tamen viſum meliùs, ad bifidum tramitem equum ſiſtere, ardente ſeſſore, generoſum eſtlantem ſpiritum, toto

mican-

micantem corpore, & iam Mauro ſepulchrum vngula fodientē ſ mox laxatis habenis, equinæ aleæ, quà ſors illum flexerit, blaſphemi vitam ſubijcere. Sed diuina prouidentia iumento rem deliberandam committit. illud pedibus it in contrariam alteri iumento ſententiam. ſua cuique ſemita libera manſit. iudicium ſua ſponte peractum eſt. Mauro cædes adempta; cædis cura Ignatio. in hoc Dei ſapientia, in illo benignitas fulſit. Hic primum, & non obſcurum tui, vir fortiſſime, in coeli terræq; reginam ſtudij trophæum perpetuò ſtabit. In eo pendebit effigies enſis, non mauri ſanguine imbuti, ſed tua pietate coruſci. Enſis non exertus ad vindictam, ſe prodet ad gloriam. In hoc biuij capite diſcet ex te viator, quæ tenenda ſit ad coelum via.

ORATIO V.

Memoratu digna de Ignatio in Monte ſerrato.

VEntum eſt ad Montē ſerratum. Nouus hoſpes ad templi veſtibulum verabūdus, ac pronus aduoluitur. Dubio ingreſſu, reuerentiam ſtimulus debiti cultus intrò intulit. Niſi cor illius antè aduentum face diuina emollitum fuiſſet, in media illa rupe templo imminente, & à puero Ieſu (coeleſti quodam, vt memorant, oſtento) diſſecta, diffractum, ac diſſiliens, inter montis ſalębras ſe ſe pro loci ſanctitate ſparſiſſet peregrinorum pedibus proculcandum. Et vos, ò ſilices, ad tot è dolore, & amore ſuſpiria, gemitus, obſecrationes duritiem obſtinauiſtis? At mouere ille potuit animum virginis, & ad ſua vota flectere. Nati etiam rigor elanguit: ſagittæ cecidere de manibus; ijs tantum retentis, quas ad vitales plagas ab illius humero nunquam diſſociabilis pharetra condit, & amica exercet dextera. Hic oculorum oſtia iterum recluduntur ad riuos. Cætera Montis ſerrati adamantina ſaxa ſcindite ſinus: fatiſcite rupes. & quidem ſi vos natura fecit aquarum infoecundas, hoc lacrymarum fonte in veſtra viſcera deducto, diſcite parere. Hic illum vidiſſes hiſpanico nobilium quōdam militiæ tironum more, tota nocte peruigilem, & ſibi ipſi agentem excubias, & multò quidē tutiores; licet aduerſus hoſtē

non minùs aſtu,quàm potētia,odio,& immanitate formidabilē. Hoc habent Dei amatores,& cultores eximij, vt res profanas in diuinos transferant vſus;& curas inanes ad ſolida ſtudia. felix commutatio,minori labore,maiore lucro. dulcis negotiatio,& quieta,non vetito foenore,ſed copioſo vtriuquè prouentu. Hic ad templi parietem ſuſpendit anathema,enſem,& pugionem;alteri iam adſcriptus meliori militiæ. Memini apud poetarum principem,Teucrorum ducis ad montem Leucatæ,poſtibus aduerſis fani Apollinei, hoſtilem clypeum, atque arma figentis, hoc inſcripto carmine,

Aeneas hæc de Danais victoribus arma.

Iſte ſuum dedecus in aliena erigit laude. niſi forte cytharoedo Apollini,cincinnato, ac molli Phrygiæ tutelari, malè defenſam exprobrat Troiam. At verò tuo huic donario, miles fortiſſime, aliena manus, (tuam vetante modeſtia) contrarium prætendat verſiculum,

Hæc de ſe, & mundo victis, Ignatius arma.

Hic expiatis ſacra Confeſſione totius vitæ peccatis, & diuino corporis Chriſti epulo paſtus, munda, & ſaginata victima, ſe ſe ad aram precibus oneratam immolat, voto perpetuæ caſtitatis virginum imperatrici nuncupato. Ab eo tempore, nullus illi ampliùs tota vita corporis ſenſus ad inhoneſtam cupidinem. pars præmij præcurrit tempus; dum exutus quodammodo corpore animus degit in terris. Coelum ne te iacta. Incolæ coeli, ſi quę in veſtram felicitatem cadit inuidia, hanc habetote. Hic deniquè poſtremum quoddam Ignatij factum memorabile. Cæteri victores opima de hoſtibus victis ſpolia capiunt: ille de hoſtibus triumphatis exuuias abijcit. detractis ſiquidem ſibi ſumptuoſis veſtibus,mendicum quendam, ac lacerum, ibi fortè adſtantem induit, amplis pauperem, victoriæ minimè participem,ſpolijs ditat,poſito habitu honoratior,quàm pauper accepto. Hic victus, qui rem auidè arripuit: ille victor, qui contempſit. alter miſer, quia ſe diuitem vellet; alter felix, quia ſe pauperem mauult; mendicitate magno pretio empta, in gratiam illius,qui cum diues eſſet,ſe noſtra cauſa vltrò mendicum fecit. Inſani,quiqui eſtis hominum, vobiſne inglorium videtur mendicare cum Deo? Immò id ſolùm nunc dolet Ignatio,quod nequeat, quia non decet, nudus incedere. At poteſt tamen, quia cupit

poſſe.

poſſe.diuinus amor cum rationis officio colludit; dum id quod rè fieri nequit, voluntate peragitur. ſtat meritum facti, obſtante facto. Ergo iumento reliquiſq; impedimentis clàm a ſe prorſus abactis, induit ſe ſacco, fune præcingit, baculo inſignit. Bonus peregrinus, ò quàm expeditus! niſi fortè Zonam illam grauat aquæ cucurbita. Strenuus quoque Chriſti miles, quàm benè inſtructus! Habet Saccum pro lorica, funem pro cingulo militari, baculum pro telo, cucurbitam pro commeatu. Procede Ignati ad bellum. non tibi cum vnius tantum Philiſtæi gigantea mole certandum. conuerte oculos ad Aquilonem, reſpice, hoc ipſo prorſus tempore, non prodeuntes ex Aetnæo monte gigantas, ſed ex Orci cauernis ſurgentia horrifica monſtra, Lutheros, Caluinos, Zuinglios, Oecolampadios, Illyricos, Buceros, Melanctonas, Munſteros, Kemnitios (nomina aurium tonitrua) Hęc tibi, tuiſq; poſteris profliganda portenta. Procede, inquam, tu primus, tu anteſignanus, tu dux, tuorumq; imperator inuictus; congredere inprimis cum Tartareo humani generis hoſte, atque omnis perfidiæ capite; non primi Hebræorum regis ſepultus in armis, ſed aëreo paſtoris adoleſcentuli tripudiantis velatus amictu; euerte illam ſuperbiæ molem. erit tibi funis iſte pro funda, & PETRVS pro lapide. Iam verò vt ad maiora poſtmodum mea tecum progrediatur oratio, nunc priùs Minoreſſam vulgo Manreſam properemus. Sed eccè neſcio quis, auctoritate magiſtratus, ſolicitè conſequutus Ignatium, ſciſcitatur, nũquid ſuas veſtes cuipiam donauerit. fatetur Ignatius. Supplicium imminens mendicus euaſit. O ſucceſſum è, pene dicam infelici, caritate, non minùs miſerandum, quàm ridiculum! Illi, reo furti facto, idem fuit deprehendi, & comprehendi. Quid faceret? pretioſa veſtis, pannoſum accuſabat. ſolam habebat pro patrono innocentiam. Sed hæc in Iudicio fruſtrà loquitur, quia ſine teſtę non auditur. à culpa, non à poena immunis eſt. Si damnatus fuiſſet, præ incredibili ſtupore, & doloris atrocitate, præuia morte patibulum fefelliſſet. Hoc igitur vtcumquè perfunctus periculo, & reuocato, quem penè liquerat ſpiritu, quidpiam tale apud ſe cornicari viſus eſt; Hau! quantæ turbellæ in pauperem repentè opulentum. Sed necdum metu omni exemptus ſum. Omnia mea mala mecum porto. Hæc indumenta æſtum curarum augent, & formidinis algorem nòn minuunt. Magnificè perij. Hæreo in luto gnaui-

ter, o me bardum, & bucconem, quem in has tricas conieci! fungus ſum, vt video, momentò natus è ſpreto, & calcato a viro ſapiente pingui ceſpite. Quid agam? ſi has veſtes reliquero, nudus ſum; ſi retinuero, fur ſum; ſi diſtraxero, fur ſum. Tribunal ſuſpiciones hominum non ſtrangulat, neque iudicis ſententia maleuolorum iudicia amputat. quantum ad hæc, reſtis, & ſecuris feriantur, & carnifex oſcitat. Hei mihi! peſſumdedi mea, & non poſſideo aliena. Cæterorum egenorum oculi me deuorant. furum manus pruriunt. & quod omnium grauiſſimum eſt, fame pereo. pompæ veſtiariæ fumo non paſcor: nec eſt qui dare velit ſplendido ſtipem. quis enim credat mendicum in ſerico? Pereant iſtæ veſtes. præſtat in panno viuere, quàm in auro mori; ſetis pungi, quàm gemmis tundi; dormire in palea, quàm vigilare in roſa. malo me fruſtulentæ leuitatis meæ, quam regij ponderis baiulum. Abeant iterum in maximam malam rem iſta indumenta. Ah! ignoſce, quiſquis es, non enim alium te, niſi ſanctum, ac nobilem virum exiſtimo. Ignoſce, inquam: Si mea me ſtultitia anxium tenet, tua pietas non dimittet ingratum. Si fors inopiæ meę ſemper amica, nunc me tanquam aulicum quempiam nitentem non agnoſcit, vehementius angor, quòd Chriſti amore, & tui odio inopem ſponte factum, mihiq; beneficum, te non nouerim. ſi noſſem, profectò non ſolum ad abeuntem feſtinus accurrerem, verũ etiam tuo eſſem lateri ſemper affixus. At enimuero in hoc meo infortunio fors mei non planè oblita, inuſitatam, & nunquam antea mihi præbitam largitur eleemoſynam: quòd nimirum tuo magiſterio diſcere incipio, quàm vera ſint malorum ſemina, in mentita bonorum ſpecie: quantæ calamitates in ſegetem fruſtrà ſperati fructus fallacem augurem: quàm ſtabiles curę in gaudio labili: quanta moleſtiarum congeries in nihilo. Sapis heros egregie. Ego nunc in tua veſte tanquam in carcere habito: tu exultas vagus in mea. tuæ mihi chirothecæ ſunt manicę; periſcelides, vincula; calceoli, compedes. tu ſolutus, tu liber, tu nudo pede quà, & quò diuinus te ſpiritus agit, excurris. ego nobili ornatu fures acceſſo; tu vili ſacco fugas. me pauor comitatur, te ſecuritas. Egeſtate prætereunte, latrones in ſyluis otiantur: at verò ad argenteas ſarcinas certatim conuolant: vectorem exonerant miſericordes, ne fortè ſuccumbat. Væ marſupijs auro grauidis. O quot obſtetrices ad partum! Sed quid

tamdiù

tamdiu blatero? ſum nimium loquax. Hoc innatum hominibus, vt improuiſo oppreſſi caſu muteſcant; emerſi, largiter garriant. Vir ſanĉte, maiori me dono poſt hac afficies, ſi Deum oraueris, vt mea ſorte contentus, corporis neceſſitati, quantum oportet, indulgeam, & animæ ſaluti quantum poſſum, ſtudeam.

ORATIO VI.

Minoreſſæ admiranda Ignatij vitæ ratio.

Sed ne diutius homo minimè malus nos detineat; cœptum proſequamur iter. Paulò poſt igitur Minoreſſam ingreſſum Ignatium Barcinonenſis peſtilentia, non ſine Numinis conſilio, remoratur; longiori tempore, quàm ille credidiſſet, breuiori quam oppidani voluiſſent. In hoc oppido integer ferè annus exactus eſt. Barcino, ſuo ipſa malo, facta eſt vrbium omnium, locorumq; medicatrix. Animorum quippe lues, corporea peſte plures habeo funerum vaſtitates. nihil facilius vulgatu; nihil curatu difficilius. Quapropter interea Minoreſſę diſquirenda fuere Ignatio, & comparanda remedia corruptis hominum moribus, ſumma virium contentione ſanandis. Illic ſpatium temporis opportunum, & commodum diuinitus datum. Attamen vacandum ſibi primum eſt; tùm cæteris prouidendum. Nihil mundius, nihil incontaminatius eſſe oportet eo, qui aliorum marcidæ mentis vlcera, & inueteratæ cóſuetudinis oſſa purulentè limoſa cædere, & auerruncare aggreditur: ne illum quoquè cum alijs, feralis gladius ſtultè ſibi accito interitu inuoluat. Contagio triumphat in vitijs. in hæc, ab ipſis mundi incunabulis, eius primum, & ſummum imperium. Coelum perrupit, & infecit. mox in noſtrum orbem incubuit: compendium amoenitatis, ac deliciarum, primis parentibus ſepoſitum, è terrarum ſolo expunxit. indè fædiſſima eius proluuies in omnes gentes propagata. De animi tabe loquimur. hac percuſſis viatoribus non patet aditus ad arcem intactæ ſanĉtitatis operosè munitam; vigili cuſtode ad portas, & ad moenia ſpeculatore fideli. Adiacentibus tamen ægrotis, iuge foris, & ſedulum exhibetur obſequium, ſed vitatur periculum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

lum. Nam quod attinet ad corporum virulentas affectiones, ſicut illæ menti non communicantur, ita neq; propugnaculo mentis arcentur. imo verò vndante præcelſa è turri vexillo, ſignum datur euocandis vndiquè tabidorum, & quolibet morbo laborantium gregibus. Nihil his clauſum, nihil non paratum. Officioſiſſima caritas impatientes aperit ſinus, & iactat vbera. Hoc ſemper tum hic, tum in alijs vrbibus, non minus quotidianum, quàm ſolemne fuit Ignatio. Sed ſuo quæque deinceps percurrenda ſunt loco. Ergò Minoreſſæ, illius, quàm modò dicebam, arcis fundamenta ponit, tàm firma, vt neque vllis vnquàm doloſis hoſtium cuniculis ſubrui, neque apertis labefactari machinis poſſint; tàm ardua, vt vbi in plurimis ſpectatę probitatis viris faſtigium virtutis conſtitit, ibi huius ædificij ſurgat exordium. O tirocinij rudimenta, veterani laboris perfecta ſapientia! In hac igitur ſede, ad animi ſui, & florentiſſimam vitam, & conſtantiſſimam valetudinem, ſtudium omne, operam, ac diligentiam contulit. Pharmaca verò, & inſtrumenta ſolerter excogitauit, & ad manum habuit, quibus hominum ſalutem poſſet aut partam tueri, aut recuperare amiſſam, Quis enim eſt qui neſciat, quæ ab hoc præcellentiſſimo viro in hac Minoreſſana exercitatione, penè ſupra hominum fidem patrata ſunt? factorum memoria tam recens eſt, quam vetera facta. Lux mentis prima virtutum origo eſt. Hæc Loiolæa paterna in domo, iam e diuino fonte hauſta, Minoreſſæ maiorem in modum aucta eſt, victo vi precum coelo ferreo: Regnum coelorum vim patitur, & violenti rapiunt illud: cum rapiatur, quidni victo? cum violenter, quidni ferreo? Et quidem mirum, dictu, quòd ſoli amici raptores ſunt. Ergone hoſtibus vltrò cadent moenia, talentarijs amicorum vix prona baliſtis? At tu coeli Domine, maxime tibi, & o nobis optime, quandoquidem tu ipſe quibus artibus tua expugnari Regia poſſit oſtendis. Spontè aperis, & pulſari iubes; theſauros prodigis, & quæris emptorem; dona diſpergis, & exigis merita. Quid igitur commemorem totos dies noctesq; impacato aëre, ſua Ignatium inſpirantem, ac reſpirantem ſuſpiria? quid ſinuatam nudis genibus humum? quid templa pro domo, pro menſis altaria, Eccleſiæ ſacramenta pro cibis? quid identidem reuolutis, & remanſis pijs precationibus ora hiantia atque ſuſpenſa? Sunt hæc quidem fortia tela; ſed non diuturno hebetan-

tur

Digitized by Google

tur tempore, niſi ſubindè acuantur ad cotem: quæ cotes alia, quàm Ignatij propemodùm incredibilis in victu, potu, ſomno, amictu, ac ceteris in rebus aſperitas? Teſtare Minoreſſa abſorptas ab illo, nulla prorſus re in ſtomachum immiſſa, aut inſtillata totas hebdomadas. proh Deum immortalem! etiamne tempore viuitur? O ieiunium Angelorum, ſola æternitate, Ignatio tunc nondum conceſſa, mutilatum! niſi forte ieiunium aut paſcit, aut diuinorum penu ciborum eſt. Teſtare cætera in eius faſtis quotidiana, ſolo aridi panis fruſtulo, & quidem oſtiatim mendicato, & vulgaris aquæ pugillis, celebrata ieiunia, lacrymis tantum additis ad condimentum: teſtare nudam humum, aut ſcrupea pauimenta delicato, & exangui, ſubiecta corpuſculo: noctes aſſiduis illius delaſſatas, & ſopitas vigilijs. O quoties aurora erubuit, illo inſomni percuſſo! noctem non puduit, quia coeca eſt: teſtare, non dico cæſos intortis, ac nodoſis funibus humeros, ſed ter quotidie furentibus terga laniata cathenis, ad ſonitum crepitumq; plagarum toto tremefacto, & miſerante tugurio. O noſter imperator, in teipſum facte, & laniſta, & pugnator, quale tibi de te, imo, & coeleſti amphitheatro ſpectaculum exhibes! Inuident huic arenæ ſidera. beatiſſimi ciues accurrunt. pro ſe quiſque contra ſe ſeipſum in tale certamen committit. ſola manus operi, non animus deeſt; neutrum Ignatio. illi ſubmittunt, & offerunt palmas: hic erigit, ac retinet flagellum pro palma. hoc nouum triumphantis inſigne eſt, ſceptrumq; regnantis. Suo quiſque bono fruatur. O in te crudeliter pie, tui ipſius hoſtis hoſtium omnium acerrime! nuper ſummam ex hoſte Franco humanitatem collegiſti, tu à te miſericordiam ablegas? tune ſemper ad tamdiu iam exercitam carnificinam, fatigata ſupplicia reuocabis? etiamne, conſumpta carne, ſemiuiuum cadauer exoſſabis? quid fruſtra ad nouas plagas locum ſcrutaris in plagis? niſi forte inſaturabile vulneribus corpus, noua ſemper deuorat, & abſumit vulnera: aut, quandoquidem nulla ferè in eo amplius ſpecies, & figura corporis, totum ipſum, quantum eſt, vna plaga eſt, quæ paſcitur plagis. harum ſibi nullum indixit ieiunium. ſaginatur, quia macreſcit; robuſtæ illius vires, quia infirmæ, vegeta vis, quia confecta; in ſui cruciatu neruoſum, quia languet in cura. Ah! Ignati, nullæne induciæ? nec te mouent, nec tangunt abeuntia iugiter è tui hoſtis Ignatij diſrupto, hiulco, & cruento

corpore

Digitized by Google

corpore ſanguinis flumina? nullus illis alueus; nulli margines; inundantur omnia. & quidem a loyolæo diſceſſu continuè hęc increuere certamina. tantâne ſitis tui ſanguinis? at illum non bibis. bibe tu terra, pande anhelans gremium, nec erubeſce; niſi te cogit iſte infuſus color. hauri; pitiſſa; iterum ſorbe; ſuge; iterum pota. ebria non vacillabis; ſtabilis es. O quàm vberes, & eximios foecundis inſperſa hiſce roribus, & pluuijs foeneratricibus imbuta, ſpondes fructus, creditori nunquam mentitura. Iam ſubſultant, ac pullulant inimica moræ germina, amico patiente coelo, & arridente. Ah! mihi ſit fas tam pretioſi liquoris, vel guttulam lingere. O artifex peritiſſime, ſat magna etiam illius copia, quo interlitis ſaxis, fundamenta illa abs te iacta perenni firmitate conſiſtant. O parens euiſcerate, ſat vaſta profuſio, infinitæ tuæ generãdæ proli. Sed vt ad alia ſpectanda certamina ſeſe conuertat oratio, quis non exiſtimaſſet hominem ęgrum, ac ſeſe vix ſuſtinentem, cum è publicis vagantium pauperum, ac peregrinorũ diuerſorijs in noſocomia ſecederet, eò ſui curandi cauſa itare? ſcilicet. quaſi verò caritas, quæ vel in ipſo Ignatij nomine ſcintillat, extincta eſſet in corde. Caritati nunquàm malè eſt, niſi alieno malo. quo tamen eius vires non deficiunt, quia tantò magis inualeſcit ad opem. Itaquè ille infirmus infirmis, ſaucius vulneratis, lugens moerentibus famulatur; ſolo ſibi liberæ ſeruitutis relicto ſolatio: neque loci ſordes, ac foetor illi nauſeam, ſed miſericordiam mouent. Quid quod extremæ paupertatis principatum vicatim ambiens, obuijs quibuſq; pauperibus ſuam mactat, & largitur inopiam? de qua tamen ſi quid minutulum ſibi neceſſarium, ab illis viciſſim in manum effluit, oſculatur beneficium. A mendicis mendicat a ſe mendicata. Summus egeſtatis amator viuit de bis mendicato; ne de ſua egeſtate poſſit ambigere. ſeipſo mendicior eſt; vt in ſua theſauraria inanitate toties exinanita pleniſſima pace conquieſcat. O voluntariam paupertatem, vel hoc ſolo nomine beatam, quòd adeò nobilis, ac tranquilli pauperum generis, & parens ſit. & regina, inter omnes orbis terrę principes, ac reges ſola ſereniſſima! in hoc igitur magnifico ſui rerumq; ſpecioſè fugientium contemptu eximia Ignatij virtus enituit.

ORA-

ORATIO VII.

Minoreſſæ atrociſſima Dæmonum bella contra Ignatium pugnæq; ſucceſſus.

QVemadmodùm non vnum præliorum genus, ita neque victoriarum. Illis multiplicatis, aggerantur præmia. bellum pulcherrimas generat coronas. hoc vno titulo, dignum nomine ſuo eſt. cæteroquin ſeſe terrificum formoſa obtegit vocabuli larua. Ergo ecce nunc è tartareis regionibus inſtructiſſimi Cacodæmonum exercitus, innumerabilium, ac potentiſſimorum hoſtium furor, ac rabies in Chriſti militem concordi, ac diuerſo impetu fertur. aucto recenter odio tota iam excita erumpit, & armatur crudelitas. proh ſuperi! totne Hercules contra vnum? at quem petunt veſtri mucrones, inſani? in ſui hoſtem infenſiſſimum, hoſtes impij adhuc deſæuitis? quæ iſta barbaries? ille omni cruciatu ſe propemodùm confecit: in poenis ſibi non pepercit: in dies auxit. quid adhuc veſtra machinatur immanitas? hoſte miſero afflicto, & iacente conſpecto vel ex ipſis hoſtium manibus arma labuntur: illa ferocius rapiuntur a vobis. Sed videlicet rem tenemus. conſilia ſunt vtrinquè conſpicua. illius in ſeipſum odium impensè odiſtis. pellicitis ad amorem. at dum ſe odit, amat. ſed neque hic amor vobis, neque odium placet. Heus tu, de quondam Lucifero, nunc in tenebris laternarie, quid hic igitur cum tuis veſpillonibus ages? aptiora tela quærite, cudite dolos, retia tendite. hortatu non egent, vim acuit imminentium ſibi damnorum pauor. perſpicaciſſimi coniectores futura præſagiunt. ſuſpectam habent, non dico coeli machinam, poeticis neſcio cuius Athlantis ſuſtentatam humeris, ſed terrarum molem, ſicut aliorum ſanctitate, & doctrina, inſignium virorum, ſic etiam Ignatij, ac Franciſci, poſterorumq; lacertis Deo iuuante, in immenſa coeli receptacula euehendam. Iſti fumigantes inferorum cunei: hoc ſolo cogitationis ictu ac mentis verbere concidunt; & eriguntur; trepidant, & confirmantur; mordent ſuſpenſi frænum, & impotenter excurrunt. animum facit improbitas; ſpes deſpe-

rationem obiurgat; fiducia liuore roboratur. Veruntamen oculate militum ductor, ò quam iniquum tibi ad pugnam locum delegiſti! quis te neget tenebrarum principem? tu Ignatium, & quidem iam exercitatiſſimum palæſtritam, in pauperum, & ęgrotorum ergaſtulis, in coeno, in ſordibus, ieiunijs, vigilijs, fame, ſiti, ſeruitijs penè dicam enectum adoriris? nec meminiſti ſummi illius patientiæ Patriarchæ, quem domo eiectum ſub dio in lutum proieciſti? vel ipſa draconùm, ac Struthionum feritate, illis in ſaltibus innocentem reuerente, tuamq; truculetiſſimam impietatem deteſtante? Quid tum poſtea? tu, tu, a te implexis, & contextis illius corpori ſanguinolento intricatus, & confuſus vlceribus, victus atque infamis receſſiſti. tu ſtercoree gladiator, (pudet dicere, non te pudet audire?) tu, inquam, eo ipſo ſtercore, quod tuo aduerſario, a te fortunis omnibus, ac domibus ſpoliato pro ſtatione commodaſti, ignominiosè lapidatus, ac tandem foediſſimè tergoratus aufugiſti. O eximias tuas illas vires, cum a muliercula eius vxore auxilium implorauiſti. Quid? an obliteraſti ab animo tuo duellum illud Dei hominis, ſupremi noſtri principis, non in aliquo circo maximo, aut vrbico foro, ſed in deſerta ſolitudine, & arenoſis plagis non uirium refectu, ſed quadragenarij ieiunij apparatu a Spiritu Sancto pronunciatum: cum tu impudentiſſime domini tui aggreſſor modeſtiſſimo eius reſponſo ter percuſſus auolaſti? Alij tibi petendi ſunt ad aciem campi, vbi exultes, vbi triumphes, vbi tua ſe iactet audacia? Contrà te olim primi generis humani parentes in muſcoſis hortulis, & molli viola interfluente cryſtallo, dimicarunt, & viciſti. At delicatam, penè dicam puellam, modò in pulcherrimo productam luco, te primum viſo exterritam emori oportuit. exterritam emori? enimuerò ſe nondum mortuam reuiuiſcere credidit; ſed heu! neſciam ſe ſtatim morituram. O glorioſum facinus in nemore ad pugnam decreto! Quid vnquam vſquàm gentium tale? pomum è colubri ore? & illo veſci? Quid ſi fraudium ille opifex, & per futiles ludens imagines, criſpuli, barbatuli, venuſtuli Paridis, de Phrygio poſtmodum gyneceo abortiui ſpecie malum præbuiſſet, quod illa draconis rictu oblatum oſculatur? tantane in femina, etiam ſapiente, ſtultitia? (Ignoſcite Diui, ſuis communem hoſtem detectis, & arreptis verbero dolis, impendio maximi noſtri mali.) At ille tamen parùm vrbanè officioſus fuit, cum

viperino

viperino dente eſcam priùs momordit, deinde blandienti ore porrexit. non potuit manu; quia illa carere voluit, dum caput extulit; vt apertè illiceret,& occultè perimeret.qualiacumq; tamen blandimenta illa fuerint, fuere ſerpentis: pernicies verò dominorum vniuerſæ terræ. O non minùs miſerum quam antè felix par coniugũ: quantũ in illa vernanti,ac florida ſede,vos iſte mirmillo deſpexit! trucidati eſtis, non gladio,ſed pomo. faucibus non laqueo fractis,ſed eſca præcluſis, animam expuliſtis. cecidiſtis; maiorene ludibrio,an exitio? At tibi,bone vir,tua quoquè vxor bellum mouit muliebre. te demulſit; & conuiuij execrabilis ſodalem fecit. An ignorabas illam non è tuo cerebro, non è corde,ſed è latere prodijſſe?tuum igitur tibi cerebrum habere debuiſti,cor Deo, coniugi latus. Enulſo ex te oſſe, tu mollior,illa nihilo fortior fuit. niſi quod (proh pudor!) quæ ex te dormiente fabricata eſt, te vigilantem oppreſſit. Expectoraſti te,vt eo,quod in pomum coluber iaculatus eſt toxico,per te tranſfuſo,totam progeniem infanda contagione corrumperes. O in ſcena illa gratiſſimis inumbrata frondibus, ac theatro ſertis vndiquè redimito actæ tragoediæ deploranda cataſtrophe! Quamobrem non ſunt idonea hominum caſtris ponendis huiuſmodi loca. Id probè didicerat egregius pugil,& luctator Ignatius ex ijs,quos ſuprà commemoraui,libellis. Attamen hoſtes ab incoepto non deſiſtunt. ardentiores inſiſtunt operi. agitur de ſumma rerum. Primò quidem obijciunt florentem ætatem, & beatos, ſi velit dies. exploduntur. Deinde cuius animum præſentis vitæ, bonis omnibus circumfluentis,iucundiſſima recordatione flectere nequeunt,à conſtanti futuræ rigidiſſimæ,atque aſperrimę propoſito deijcere connituntur. nihil proficiunt. Tùm denique cuius conſcientiam nouis peccatis ſauciare non poſſunt, præteritorum ſtimulis pungunt, ac prope confodiunt. Hæc viro timenti Deum, poenarum omnium grauiſſima. Quid multa? iſtarum legionum imperator Ignatio maiorem quàm credi poſſit curarum, ac moleſtiarum molem uix ſuſtinenti, ſuadet vt ſe ex edita cubiculi feneſtra præcipitem agat. O ingenioſum, & efficacem de militum duce oratorem! è præcipitio in præcipitium vocas? Dic ſodès,vis videri ſapere, an inſanire? perpetuæ ruinę ſtipendio temporariam ſuades? perniciem,vt video, foeneraris. hanc breuiſſimam vitam etiam corripi iubes, morti nunquam

moriturę immolandam? hoc profectò non eſt clauum clauo trudere, ſed mordaciter ſiſtere, & firmius ſtabilire, interminato labore. Sed Chriſtus ſuo non defuit militi. vocanti, ac precanti aſtitit. vires auxit. cum certante certauit. victorem effecit. Reconde roſtrum ò, de plagiario, facte curculio. tuus Ignatio penetratus eſt aſtus: tuarum, o verſipellis, rimatus ille eſt inſidiarum latebras. ex eo tempore ita Dæmonem contemptui habuiſſe fertur Ignatius, vt illum familiari baculo, cum os importunum inferret, abigeret. Quidni ſcipio, canum Attila, canem fugaret? caue lumbrice pedem. fuge veſpa muſcarium. Iam verò quanta lux noctem illam, quanta tempeſtatem ſubſecuta ſit tranquillitas, nec meæ mentis eſt ſpectando perſpicere, nec facultatis dicendo enarrare. liberalis, & ſuorum non immemor Deus, qui menſus eſt pugillo aquas, & coelos palmo ponderauit, (vt vatis maximi vtar vocibus) Ignatium turbulentis moleſtiarum diſcuſſum vndis, & angore preſſum in tantam, ereptum, ac ſolutum, coeleſtis voluptatis, & optatæ quietis amplitudinem laxauit, vt in eo, iam debellatis hoſtibus pacatiſſimo, inter preteritum dolorem præſentemq; lætitiam, noua de magnitudine ſit orta contentio. Iudicium huius cauſæ non poſtulandum, ſed emolumentum percipiendum fuit. Nam quid dicam de frequenti eius in Deum exceſſu quo non pauca quæ ſolius fideî Catholicæ dogmatis continentur, clariſſimè vidit? Sed illud inprimis memorabile, quod, nulli mortalium intellectui euidenter peruium, Sacroſanctum atque adorandum Trinitatis myſterium, diuino planè, ac naturæ terminis eminentiore modo, per quaſdam velut imagines, ac ſimilitudines, ita patefactum eſt, vt etiamſi contigiſſet, vt nihil priùs de illo vnquam inaudiret, tamen in propugnanda tàm illuſtri, ac firma veritate, cruciatus omnes, ad extremum vſquè ſpiritum, conſtantiſſime pertuliſſet. Mitto, ſacerdote ſacris operante, ab illo Chriſtum Dominum in hoſtia venerabili apertè conſpectum. Mitto alia quamplurima, ingentis erga illum amoris á Chriſto, & beatiſſima Virgine, quorum maniſeſtiſſima, & iucundiſſima præſentia perſæpe recreabatur, profuſa teſtimonia. Quid quod ita in altiſſimam rerum coeleſtium contemplationem, quodam in templo raptus eſt, vt non ſecus, ac ſi corporeis vinculis ſolutus eſſet, plurimi, qui tum ſpectatores ſubindè aduentabant, octidui continuato ſpatio immotũ iacuiſſe

teſtati

teſtati ſint? & illum quidem miſerati boni uiri, quem mortuum certò credebant, ſine dubio ſepelijſſent, niſi diligenter exploratus, cordis attactu, pulſus repuliſſet pietatis officium. Corpus tumulo nondum maturum, ſepulturam euaſit: vita verò mortua, viuo eſt in corpore tumulata. Miratur quiſpiam hoc dictum? at Doctorem gentium audiat loquentem, mortui eſtis, inquit, & vita veſtra abſcondita eſt cùm Chriſto, in Deo. Non minùs profectò ignotum eſt, quàm ſalutare hoc vitæ, & ſociæ mortis genus. Eſt qui mori cupiat, quod ſibi vita incommoda ſit: eſt qui viuere expetat, quòd mors diſpliceat: incertæ autem ſunt rerum viciſſitudines; & nos mutamur in horas: ſola inconſtantia in rebus humanis conſtans eſt. O igitur felix, & tuta conditio, qua quis, quidquid accidat, ſecto, vno ictu, inter vitam, & mortem electionis nodo, ſemper ſimul, & viuit, & moritur. Ad ſe tandem reuerſus Ignatius, & reducto placidè ſpiritu, intellexit, ſibi ad Dei gloriā diuturniori morte viuendum. Surgit. ac tùm demum homines illi circumfuſi agnouere nihil eueniſſe, quod aut re ipſa timendum ſibi eſſet, aut illi dolendum. Cæterùm ſe dignos venia, qui mortuum putaſſent, qui ſe viuum ignorabat. quem ſi fortè, quod abſit, terræ mandaſſent, fortunato euentu, vigilem illum ſoporem beatorum prægustantem dælicias, altiùs elatum & claro numinis expletum intuitu, futurum fuiſſe perpetuum. Ex his omnibus, quæ tum Loyolę, tum in Monte ſerrato, tum maximè, & præcipuè Minoreſſæ acciderunt Ignatio, quæq; ille expertus eſt, quæ in memoria defixit, quæ intellexit, quæ ſecum ipſe diu multumq; contulit incomparabilis ille partus extitit libelli quem vulgò Exercitationum ſpiritualium nominamus. Exiguum opus arctè colligit vires, ad ſalutem hominum potentiùs exercendas. vim ſuam ſeminis exilitate diſſimulat; fructuum copia fundit. breuiſſimo ſinu condit æternitatis beatificæ germen. atque, vt gemino verbo omnia comprehendam, illud eſt ad virtutes panſpermia; & contrà hoſtiles Dæmonum impugnationes armamentarium. Cum igitur tot, ac tanta beneficia ſibi à Deo, non ſuo tantum, verumetiam aliorum bono collata eſſe probè intelligeret, ita in illorum ciuium adiumentum, quà ſolicitis ad Sacramentorum Eccleſię frequentem perceptionem hortationibus, quà vitiorum turpitudine amolienda, virtutumq; ingerenda pulchritudine incubuit, vt in eo ſtudio atque opera maximam diei partē

noctiſq;

noctiſq; conſumeret. Minoreſſa maiorem ſe repente circumſpexit. Verùm Chriſtus opt.max.cariſſimi ſibi famuli erga ſe amorem nouo rurſus experimento tentandum cenſuit. Amor habet pro menſura pœnas. Caritas in vndis haurit incendia. Equuleus, amori currus triumphalis eſt. Ergò illa, de qua antè differebam animi afflictatio ita mox in corpus Ignatij tranſlata eſt, vt in apertum vitæ diſcrimen redacto, luctuoſis totum oppidum vocibus circumſonaret. Non vt priùs ſacra in æde proſtratum, trepido in ambigua morte argumento circumſedebant, ſed in hiſpido grabato; velut animum agentem, certa propemodum ſententia vita functum arbitrabantur. Mors à vita in templo eluſa, nunc ſeſe vlciſci velle videbatur. Parum abfuit quin tumulus verè mortuum inuolueret, quem, viuum deprehenſum, paulò antè repudiauerat. Sed quoniam corporis vexatio, de qua nihil remiſerat, nec non indefeſſi labores in hominum moribus ad pietatem Chriſtianam informandis, tantam ægritudinem pepererant, medica Dei præſentis dextera, ita illum morbo leuauit, vt ad votiuum iter Hieroſolymitanum ſe vtcumq; idoneum paratumq; ſentiret. Et eccè lugubris oppidanorum lamentatio, & miſeranda collacrymatio; Dixiſſes Paulum à Mileto decedentem. Ergone, vir ſancte, modò è mortifera febri diuinitùs nobis reddite, nunc, repentè, ſanus eriperis? Ergone quem aliquot antè menſibus, vt hoſpitem venientem excepimus, nunc vt parentem abeuntē excedere patiemur? O annum momento breuiorem! Ah! ne nubes a te, o lux noſtra, diſiectæ recurrant. Tu hic animorum luem oppreſſiſti. ah! ne Barcinonenſis, quæ te hic detinuit peſtilentia, nunc extincta, in nos conuerſa, alias excitet flammas. Anguſtiæ noſtræ, ſcilicet, te tantum virum non capiunt; nec mirum: quandoquidem (quidni lubeat augurari?) nec te, nec quos tibi Deus adiunget ſocios, totus terrarum orbis ſua poterit immenſitate coercere. quamquàm hoc nobis ſolatium aliquod eſt. cum enim noſtrum hoc oppidum intra terræ ambitum contineatur, a tuis, ac poſterorum beneficijs excludi non poterit. Abeas igitur proſperè, quoniam ita placitum ſuperis. Ad hæc Ignatius collaudato illius regionis erga ſe ſtudio, & gratijs de more actis, benèq; precatus propoſiti tenax, Maioreſſa diſcedit (Minoreſſam dicere volui; ſæpè hic erro, quia mentiri pudet.) Barcinonem peruenit; indè reiecto omni ſubſidio, & ob-

firmatè

firmatè recuſato vrgentium amicorum viatico, incomitatus in Italiam traijcit, ſpeduce, & comite inopia. Vtinam pari cum illo ardore per immenſa locorum ſpatia,excurrere poſſet oratio mea. Quis enim crederet difficillimis temporibus clauſo mari, impeditiſſimis itineribus, cum tota Italia, imò Europa, atque Aſia, bellorum flagraret incendio, cum ſumma hyeme viæ omnes,ac ſemitæ, quà niuibus, quà inundationibus corruptæ, atq; deletæ,inſuperabiles eſſent; cum peſtis vbique graſſaretur, & ciuitates hauriret; cum ad Vrbium portas vigilantiſſimi cuſtodes eſſent affixi, quis, inquam,crederet homini peregrino, pannoſo, lurido,macilento,ac ſeipſum trahenti, cuius ne aſpectum quidē, non iniuſtus ea tempeſtate hominum timor ferre poſſet, quem incolumitatis publicę cura,non iam,vt ſimulachrum mortis, ſed vt mortem ipſam horreret,tam duros, tam obſtinatos atque inexorabiles aditus patere potuiſſe? Hæc ſunt videlicet diuinæ prouidentię ergà ſpectatam ſuorum virtutem teſtimonia memoranda. Deſperatio ſui, proiecta in Deum, cum illo commercium exercet: potentiam ſubmonet: exigit vires,& contrahit, fiducia reuerrenter generoſa,miſericordiæ ſponſionem ſtipulata,gratuitam tutelam in ius vocare quodammodo poteſt,hortante Deo,& vendicatam poſſidere, dictante iudicio. O facilis permutatio! O iucundus infinitæ bonitatis cum homine luſus! immemorem ſui, curis vacuum, & ſui nihili recumbentem puluillo, rapere theſauros è gremio vigilantis Dei. At hęc etiam pars quædam mercedis,quod cum per ea tempora,nobilium,diuitum,ac principum virorum plurimi,paſſim arcerentur ab vrbibus,magnanimus heros, quem viliſſimū hominem ſtoliditas vulgi apud ſe reputabat, ita vſquequaquè diſcurreret, vt qui domum paternam Chriſti cauſa, reliquiſſet, terrarum amplitudini dominari videretur. Magno tamen hæc illi conſtitere. nam tametſi, vt modò dicebam,omnibus tunc eſſet incognitus; fieri tamen non potuit, quin nubem, qua ſe induerat, violentus virtutis fulgor ſcinderet. tanto ſiquidem labore iter ſibi aperuit, ita illum (ſicuti etiam, aliæ poſtea neceſſariæ excurſiones) Hieroſolymitana profectio exercuit,vt ſingularis eius animi demiſſio,incenſus Dei amor,caritas erga omnes,patientia,fortitudo, & conſtantia dubium reliquerint, an plus alijs boni contulerit, an plus ipſe mali pertulerit.

OR

ORATIO VIII.

Venetias contendit Ignatius, inde in Palæſtinam; tum in Hiſpaniam reuertitur.

CAietam delatus,& Romę,in tranſitu,ijs quę ad exquiſitum illius Sanctiſſimæ vrbis cultum excogitari poſſunt, pro ratione ſui ſtatus, ritè peractis, Venetias contendit. Alius tibi nunc, Ignati, ad coeleſtis patrocinij celebrationem idoneus orator deberetur. In hanc igitur ciuitatem cum penè iam clauſo die appulſus eſſet Ignatius,rudis locorum tam vaſtę vrbis,& Xenodochiorum ignarus,neque,vt potè deſpicatiſſimus, ductorem vllum nactus in celeberrima D. Marci platea,laſſitudine,frigore,fame, ac ſiti conſumptus, ſeſe ad angulum officinæ abijcit. Et eccè nocte concubia,diuina vox ad aures Marci Antonij Triuiſani, non minùs re,quàm titulo clariſſimi Senatoris inſonat. Tenè igitur in delicata culcitra laxè quieſcere,peregrino mihi cariſſimo,non procul hinc a tuo palatio, ſemianimi iacente ſub dio? Vir pius, ad Dei monitum,etiam in ſopore, vigil,& ſurda nocte auritus, corripit è lectulo corpus, homini ſine cunctatione quærendo. Luna tunc aut præ commiſeratione languida luce pallebat, aut præ verecundia ſe in nubem abdiderat. famulus prælucente face ſubibat nocturni ſideris vicem; miſericordia dominum ſtimulante, & nullo pudore prohibente. Erigit Senator afflictum ad humum pauperem:domum benigniſſimè adducit,recreat reficit,fouetq;. Egeſtate hoſpite opulentius euaſit hoſpitium. fortunatus Triuiſanus, tanto beneficio collato, Ignatius nunquam ingratus futurus,accepto. Vtriuſq; rationes diuerſis nominibus in theſauros Dei relatæ ſunt,imperante,& oeconomica caritate. Hoſpes hoſpiti debitor: hic mendicando; ille largiendo: mendicus vt viuat, diues ne moriatur. Stat ſua vtrique ſecura,& copioſa remuneratio; Dei fide pro pignore, & Deo pro præmio. Ambite diuites tale cum paupertate coniugium. Sed Ignatium è portu ſoluentem in Palæſtinos, & hoſpitij tam boni ſuiq; voti memorem, properè abeuntem proſequamur. Proſpera nauigatio.

Vehitur

Vehitur cùm Ignatio in uentos imperium. Mare Creticum Cyprium, Syriacum erga commiſſum ſibi ab Hadriatico pignus conſociauere fidem. Exponitur tandem in continente non cognita barbaris merx. O vos felices, Solymi, ſi quantum apud vos hauſit voluptatis, & gaudij, tantum in eoſdem emolumenti redundaſſet! Nemo penetrales cordis ſui erga Deum affectus vlla poteſt arte adumbrare. quis alius queat dictionis pennicillo luculenter exprimere? Narret ſuos ipſe, ſi poteſt, Ignatius: referemus auditos. O quot ijs in locis, quorum incola, mundi conditor eſſe dignatus eſt, Ignatij greſſus, ac regreſſus: potiſſimum vero ad præſepis mapalia, ad vrbis Syonis partes, ad montes Caluariæ, & Oliuarum! Huc modò, modò illuc itq; reditq;, iteratq; eaſdem vias, Chriſti ebrius amore, & ſaucius iaculo. Nunquam explentur oculi earum intuitu rerum; neque exultantis peregrini laſſeſcunt membra diſcurſu. O quot ardenti vultu, pando ore, labris tenacibus, Seruatoris noſtri veſtigijs impreſſit oſcula! Accipite hanc animam, aiebat, meq; hic mortalibus vinclis exoluite. O tellus, quæ fluctuaſti quondam in cruore diuino, vtinam poſſes, ſi purus eſſem, imbui meo! Maduiſti olim largiter. ah! hæſiſſet vtinam illius ſtillula ſucci, quā nunc lingua mihi fas eſſet elicere. Verum totus ille ſanguis in ſuum refuſus eſt alueum, recuperandus erat ab eo qui fudit, vt potè illi pretioſus quòd fuderit, & nobis ſalutaris quòd fuſus ſit. perfundere iſtis lacrymis, quandoquidem tibi ſanguine litare non poſſum. Suggere nunc coelum nouos meis oculis fontes. Creſce Iordanis hoc flumine. & vos aquæ Siloe, quæ itis cum ſilentio, ad meos gemitus edite voces. murmurare aquarum eſt. Rumpite conſonas meis lamentis querimonias. Verùm quæ in medijs terræ, ſaxorumq; fragoribus mutæ quondam fuiſtis, veſtro intereunte, & ingenti clamore ſpirante principe, quis vos ſperet vocales hoc tempore? magna durities indigenarum, quorum vel fluuij lapideſcunt. Inauditum eſt ſilices fluere. Vos quoquè circumiecti colles, omni Echo concluſa, contractuum iura violatis; non redditis datas mutuò voces. Ex adamantinis Arabiæ rupibus olim Iſraelitarum repercuſſus clamor multiplicauit ſonum. Magnus ille veſter legislator ex ijſdem virga torrentes expulit. nulla nunc à vobis poteſt extorqueri vocula, neque exorari lacrymula: Auferam à vobis cor lapideum, &

E dabo

Digitized by Google

dabo carneum inquit, Deus veſtræ nationi. ſatius fuit lapideum relinqui. carneum lapide durius eſt. Cor congruit veſtræ ceruici, popule duræ ceruicis. quàm appoſitè hęc à Deo appellatio! omnium quippè gentium vos premunt iuga. Eia generoſi baiuli, quà patet orbis terræ amplitudo lunate tibias, varicando diſcurrite. quæ Deo opt. max. ſubdere renuiſtis, Dęmonum victimæ, colla mactantur. Hæc aut alia non abſimilia, inani quidem illis rebus ſtudio, ſibi verò commiſeratione non inutili iactabat Ignatius. Attamen inter eas vrbes, & pagos, maceriam ſibi aliquam ſeligere decreuerat; vndè ſacratiſſima vitæ, & mortis Chriſti monumenta obiret; vndè errantibus illis gentibus ad veritatis ſtatum vocandis excurreret; vbi deniquè, quod caput eſt, ſe ipſe colligeret, perfectiſſimæ ſanctitati, diuinarum commentationum magiſterio, comparandæ. Inhibitus eſt, tum virorum prudentium auctoritate, tum prouido numinis conſilio. Non mirum quòd Iudæa veros Dei cultores non ferat, quæ ſuſtulit Deum. Remigrandum eò eſt Ignatio, vndè profectus eſt. Sic, & olim Apoſtoli, excuſſo pedum puluere, quo Iudæi excoecarentur; Chriſtum in alienas terras importarunt, quo coeci lumen intuerentur. Luna meridiano ſiderum omnium genitoris occaſu veſtrum, Hebræi Deicidæ, execrata ſcelus, mutilatum aliquot horis diem mundo extinxit: at vobis integrè obſtructum continuit, nunquàm aperiendum, niſi poſtremis temporibus, rerum omnium cataſtrophes futurę prænuncijs. Secula palpatis, o coeci, ſtringite laruas. Ille ille promiſſus ab exordio mundi, iam miſſus eſt. iniuriam facitis promittenti. beneficium ſpem non fefellit, quod expectationem anteuertit. quid petitis datum? quid præſentem quæritis? Enimuerò, ſi Deo placet, perfidia veſtra Mahumetanæ cognata inſaniæ maluit Turcas in regionem veſtram, (fallor. nuſquàm quidquam veſtrum eſt, præter pertinaciam) iſtuc, dico, vbi ſeruitutem ſeruitis, accire. Congeminaſtis Lunas, ò nebulones. Auerſi a Romano ſole, Lunam Turcicam colitis. Iſtic ſolo æquatis magnificis quondam ædibus, in faſtigijs gurguſtiorum, non magis aura, quàm fumo, Lunaria ventilantur veſtræ, & Turcicæ gentis inſignia. Concurrite cornibus Lunæ; non ad diſſipandam certamine, ſed ad conglomerandam pace caliginem. Hoc videlicet vobis à Deo debebatur ſupplicium. interempto Domino, ſeruos expuliſtis. Lucem mundi ſuos

Chriſtus

Chriſtus appellauit Apoſtolos. Quid non in veſtris mentibus ſua luce præſtitiſſent, qui primo Eccleſiæ ortu, ægra corpora vel ſola corporis vmbra ſanauerunt? Reuertatur igitur peregrinus Ignatius; colligat ſarcinas. at nullam habet. ſed tamen Cyprum (vicinam inſulam) cum promiſcua peregrinorum turba, nulla exacta mercede, tranſuectus eſt. Cypri non eadem fortuna. Vrget tempus; venti fauent; mare ſolicitat; nautæ inclamant; concurritur. Stabant ad littus naues capaciſſimæ, & validiſſimæ, ac propterea onerariæ, & honorariæ. hoc vtroque nomine, angulus pauperi, & deſpecto a nauarchis, etiam in portu, & cum cauillis, importuniſſime inſultantibus negatur Ignatio. Heu quid hic aget? Ergone ſolus in ignota vir ſancte iacebis arena? ſuperat altera quędam nauicula, compagibus penè luxatis, infirma; hanc Ignatij nihil habentis gratis onerauit inanitas. Quidni gratis? nihili pro nihilo iuſta ſolutio eſt. Ah! quod mihi excidit verbum? Nullum profectò nauigium, hoc toto mari, quidquam grauius aut opulentius tulit. Non eſt quod pro hac vectura naulum exigatur. nullum vtiquè ſufficiens erit. ſolus Ignatius pro ſeipſo condigna eſt merces. non quæratur alia. Sed quid tùm poſtea? Nimirum eccè tibi repentè excitata tempeſtate ſæuiſſima, priores illæ naues partim conuolutę, & raptæ imis gurgitibus, nullo ſuperſtite, partim infami laceratæ naufragio, cum ſuis mercibus, ac mercede perierunt. Dignum impietate ſtipendium. Nautæ, qui hauſti pelago cum tot opibus fluctuatis, explicate ſagenas iſti nouo piſcium generi: tendite retia. piſcari vobis, ſi nunc poteſtis, licet. Mitiùs, & quidem meritò, actum olim in fabulis cum Vlyſſis comitibus. Illi quæſita in vtre pecunia, incluſum ab Aeolo rege ventum obnoxium, ſoliq; rei conſcio Vlyſſi datum, illicò inde ruentem, in deplorandos claſſis periclitantis errores, ridiculo ſtupore ſenſerunt. Hoc tamen non crudelitatis crimen fuit, ſed auaritiæ culpa. At verò poſterior illa nauis, ſuis anguſtijs ampla, debilitate robuſta, tametſi cum maximis procellis diù multumq; luctata, ſalua tandem atque incolumis, optatiſſimum in Hadria littus arripuit. Hoc fuit pauperis Ignatij naulum. Cum Venetijs iterum pauliſper ſubſtitiſſet, quamquàm tàm diuturno labore, & corporis ægritudine proſtratis uiribus, tamen per Aemiliam, & Galliam Ciſalpinam, quanta potuit celeritate, Genuam contendit, Barcinonem indè,

E 2 mariti-

maritima via, nouorum ſtudiorum cauſa, repetiturus. Cum enim vehementiſſima ſalutis alienæ ſiti arderet, quam probè intelligeret expleri ſine doctrinarum adeptione non poſſe; in ea ciuitate ad hanc rem prima iacere fundamenta decreuit. Sed nunc venit in mentem quoddam illius factum, non minùs proficuum exemplo, quam auditu iucundum. Ferrariæ fuit. illud prætererire non debeo. gradum itaquè reuoco. In æde igitur ſacra, illius vrbis primaria, mendicus Ignatium, vt ſolebat, religioſiſſimè Deum orantem conſpicatus, nec minùs crumenis deuotus, quàm ille Deo, ratus petitioni ſuæ a viro tam pio repulſam non timendam, illius precibus ſuas admiſcet, ad diuerſum tamen dominum. feliciter audax petendi neceſſitas, ſpem obtinendi animat, nutritq; vaga mendici licentia. Ignatius ex ijs paucis nummis quos Venetijs, a Ciue Cātabro, extremæ tunc neceſſitati ſuæ ſubuenturos, admittere coactus fuerat; vnum mendico, mendicior ipſe promptiſſimè donat. Paupertati nihil deperit; illi dies inſtaurat diem. Illico pauper exultat in nummo. Ad tripudium collegę aduolant. obſidetur Ignatius. Quid multa? Sacculum exenterat pecunia, & infercit lætitia. Mendicorum turba tam liberalem, ac munificum virum paulo poſt per vrbem ſibi panis fruſtula mendicantem incredibili admiratione conſpectum repentè Sanctum vnanimi, & fauſta voce conclamant. Hic fuit paupertatis triumphus; niſi quod Ignatio, Chriſtiana humilitate ditiſſimo, lugubris fuit. Quid? an omittam aliud alterius generis, patientiæ videlicet, ac fortitudinis, a viro præcellentiſſimo datum in Gallia Ciſalpina documentum? id neq; illius meriti, neque officij mei ratio patitur. Eo tempore, quælibet illi morula, ætas videbatur. contigit tamen vt tunc plus perciperet gaudij pro animi fructu oblato, quàm pro parte temporis erepta, moeſtitiæ. mora currenti delinijt, quem pupugit pedem. Ergò cum in ea prouincia, inter potentiſſimos reges bellum atrociſſimum gereretur, fortè in Hiſpanos milites Ignatius incidit. Exploratorem creditum confeſtim ſiſtunt duci. Dux nullo alio ſibi ad interrogata dato reſponſo, quàm Herodi a Chriſto, Ignatium omnino amentem arbitratus, ira ipſemet ferè amens, ac ſtomachabundus, indignationem in milites euomuit: hi vindictam in Ignatium. Aſſuetis alio armorum genere, tunc placuit pugnos, calces, bacilla, verbera, contumelias, & maledi-

cta

&c in ſummam viri innocentiam exercere: quem etiam, ne cruciatibus deeſſet ignominia, paulò antè per caſtra ad riſum effuſa, nudatum circumduxerant. Ignatius cogitatione defixus in eum, qui tot pœnas, qui ludibria, qui nuditatem, qui necem crudeliſſimam hominum cauſa pertulerat, ſibi delicijs videbatur delibutus. Id ſolum habuit tantæ dulcedini admixtum amari, quod ex illorum manibus a morte immunis abſcederet. Nimirum parenti noſtro non ſterili, a Deo retenta eſt vita, generandæ Chriſto domino proli, quæ ſeculorum decurſu, patiendi pro Catholica fide ardorem ſanguinis profuſione reſtingueret. Iam parentis optimi voluntatem filiorum plurimi varijs in locis ſua ipſi morte teſtatam, & perpetua cruoris nota obſignatam relinquunt. Tuo Ignati, quem Deo Optimo Maximo per te ipſe libare minimè potuiſti, traducto in poſteros ſanguine, terras ad coeli hæreditatem vſquequaquè foecundas. Tu vnus, in Chriſti gratiam, ſemel, occumbere paratus, nunc ſæpè trucidaris in multis. Operæ pretium fuit tunc non mori, vt perpetuò interires, ac viueres. Deum largiter exoraſti: plùs conceſſum, quàm peteres, venerare vota tua. At heu! quò progrederis Ignati? Rectum quidem iter tenes, pro fiducia in Deum: ſed pro tui contemptu, negligis pericula. Tu ab Hiſpanis tranſis ad Gallos? è ſcopulis ad ſirtes? fortuna, opinor, neſcit quò te trudat. ipſa quoquè peregrinatur. Tàm ferociter acceptus à tuis, humaniter tractaberis ab alienis? Illi exploratorem te eſſe putauerunt: hi te ſibi fauentem delatorem iudicabunt? immaniter illi vexarunt; vide ne hi te crudeliter necent. Sed profectò longe aliter accidit. Obſcura Hiſpanis innocentia, Gallis illuſtris fuit; vel ipſo ſilentium protrahente Ignatio. Non ſolùm enim eorum dux, verum etiam totus exercitus ſeminecem miſerati, benigniſſimè tractatum, ac recreatum dimiſerunt. Sic tragoedia in tragicomoediam tranſlata. Et hoc quoquè à Dei fidelitate præmium; vt qui eius cauſa Loyolam, maiorum ſedē, & paternam domum, & amicos reliquit; apud exteras gentes, in hoſtium ſtatione foueatur vt ciuis, vagetur vt liber. In Hiſpania illum Pompeiopoli Galli honorarunt; contemnent in Italia? Diuina conſilia contexunt, & parant miros rerum euentus. Galliam colet; ſed aliquando futurum eſt vt triumphet cultus in Gallia.

ORATIO IX.

Ignatius dat operam literis in Hiſpania vbi eius innocentia miris modis exercita, fit illuſtris.

IAm verò Barcinonem recurramus. Illic igitur, vt ſuprà attigi, elementa grammaticæ deuorauit Ignatius, auidè vt par erat, citiùs quàm oportebat, poſtmodum proindè neceſſariò remandenda. Huius laudandæ famis impatientia, ſi humanus captus admiſiſſet, non differenda ſatietate digniſſima, vt in magnum auidæ voluntatis meritum, ſic in non exiguum nutritionis detrimentum ceſſit. ſed ſucceſſit merito præmium, & detrimento remedium. Matura illum ætas ad tantam celeritatem ſtimulauerat: ſed perſpectum poſtea damnum impetu repreſſo, ad metam volantem ita reuocauit ad carceres, vt prior illa præpropera feſtinatio ſtudiorum curſum tardiorem effecerit. Natura homini pedes, non alas dedit. Itaquè Barcinone de militiæ magiſtro, factus grammaticæ diſcipulus, caſtra conuertit in ſcholas, arma in libros, clypeum in chartas, gladium in calamos, ſanguinem in atramentum, patentes ad aciem campos, in puluerem literariū; commilitones in pueros, tubas in tintinnabula, imperandi officium in parendi mancipatum. Ille in florenti ætate, rudi, qua digniſſimus erat, puerilia Grammaticæ rudimenta prætulit. Ille ſibi ad coelum gradus erexit, nominum, ac verborum declinatione ſublimes. Verùm in hac literaria exercitatione, fuit illi grauiſſimus omnium ſubeundus labor. Deus cùm Deo commiſſus in prælium eſt. Ignatius Dei amore flagrabat, & Dei cauſa ſalutem ſitiebat hominum. hæc trahebat ad capeſſenda bonarum artium ſtudia; ille ad diuina contemplanda rapiebat. Quò ſe verteret? Perſtat iiſdem horis, ac momentis, hinc ſitis in homines, illinc raptus in Deum. hic totum ſibi, & illa ſibi totum vendicat tempus, & animum. A toto vtrique parti ſatisfieri non poteſt. Amore potentiore diſcendi conatus elanguit: ſtudia refrixere, creſcente incendio. Sed non multò poſt noſter elementarius tiro, ſpirituali prudentia, & experientia prouectus

Doctor,

Doctor, latentes in illo ſpecioſo certamine Dæmonis deprehendit inſidias, ad ſalutares,& Spiritus ſancti,alioquin minimè perturbatrices cordis motiones,importunam, & alieno tempore,ſacrarum ſcripturarum notitiam,& arcana penitus ſenſa, rerumq; coeleſtium obiectas imagines coaceruantis: vt aut ſementis literariæ iactum auerteret,aut ſe in ipſis doctrinarum incunabulis opprimeret. O verſutiæ,ò fraudes! Implacabilis videlicet ille hoſtis antè nouum hoc præliandi genus, vix ſperata de Ignatio, pro Dei gloria pugnante,victoria,animum illius vertebat in pugnæ campum. in hoc campo bellum Deo inferebat, vocato ad opem Deo. Deum Deo debellare moliebatur. Ars ſuum eluſit auctorem, calliditas nimis efferbuit: aduſſit cuſorem doli. Machinamenti ſcopus, ac finis fuit, vt ſapientiſſimo viro non ſolùm inſtrumenta iuuandorum hominum exſcinderet, verum etiam vt Societatem noſtram, quam ex illo naſcituram fortaſſe ſubuerebatur, antè conceptum præfocaret. Accedebat ad eius iram,quòd inſignem tanti viri ſponte repueraſcentis animi demiſsionem ferre non poterat. Sed & hoc perſentiſcens Ignatius,& in ſuſcepto ſtudiorũ labore diligentiſſime inſiſtens,ad pedes Ardebali ludimagiſtri aduolutus,ac ſupplex, enixè precatus eſt, vt nulla ætatis,aut perſonæ habita ratione, in ſe tanquàm in alium quẽlibet infimae plebis puerum, virgis ſeuerè animaduerteret, ſi quando imperatum ſibi penſum non peregiſſet. Quo factum eſt, vt conſtantiſſimus Chriſti famulus, euerſis inimicorum artibus, duobus illis ſtudijs, Deo ſcilicet, hominibuſq; vacandi ſingulatim alternum tempus,prudentia moderatrice,partiretur.Stant ſuae quibuſcumque rebus in natura vices.Hyemem ver excipit, æſtatem autumnus. quotidiè nobis ſol idem,& alius oritur. Continuis imbribus non aſſurgunt, ſed putreſcunt ſegetes: interciſis adoleſcunt, & maturantur. Putandæ vites, ne luxuriante moriantur vita. Collige fructus arbore incurueſcente pendulos, vt ſurſum reuecta,cedant naſcituris locum. In artibus diſcrimina operas:ſecerne ſingula,ne confundas omnia. In officinis turbarum nihil neceſſe: ſat ſtrepitus in illis. Diſtribue officij partes in moribus,ne officias toti: & caue ne requiſita incubans operi mora,compendio irritata,abortum effundat. Inter hæc,cum Ignatius,diſtinctis,ac decretis ſtudiorum, non diligentiæ interuallis,in ſingula totus incumberet, viri nonnulli,aliàs,&

graues,

Digitized by Google

graues,& amici,rati,id quod reapsè non erat, ſatis illum in grã-maticis profeciſſe,magnopere auctores fuerunt, vt Complutum profectus ad altiores doctrinas gradum faceret; vt non exemplo tantum,ſed etiam ſcientia, homines à prauis moribus, & vaga licentia abſtractos,ad rectum,& Chriſtiano dignum homine ſtatum vitamq; traduceret. Ille, tametſi conſcientia exiguum hactenus fructum mordente nutaret, nihilominus maluit, pro ſua modeſtia,iudicio aliorum cedere, quàm pro veritate, nondum planè ſibi certa,pertinax vllo modo videri. Ecce illum igitur, Barcinone lugente,Compluti; & aliquantò poſt Salmanticæ: ſecutis quatuor ſocijs qui iam illi Barcinone, deſiderio imitandæ tam arduæ virtutis, adhæſerant. Iam verò cum in re, quæ communi ſermone percrebuit, nihil ignotum mea proferre poſſit oratio,dicam ſolum, & generatim, ea ipſa quæ tum Compluti, tum Salmanticæ ſanctiſſimo, ac fortiſſimo viro contigerunt, nonnihil fortaſsè tunc ad eius res incommodi,poſteà verò plurimum vtilitatis attuliſſe. Nouum igitur ſpectaculum ijs in oppidis videbatur,hominem pauperrimum,totius oris, & corporis habitu vilem, hyeme rigidiſſima,nudis incedentem pedibus; ieiunijs, vigilijs, alijſq; id genus vexationibus ſe ſe aſſidue macerantem nullis preterea bonis artibus cultum, ac proindè gymnaſia diſcendi ſtudio, terere incipientem, ad populum verba facere,de rebus diuinis, & ſalutis noſtræ myſterijs vbiquè miſcere colloquia; de vitijs, ac virtutibus, earumq; natura ſumma animi contentione diſſerere; inſuper quamplurimos ad eiuſdem vitæ conſortium,mira felicitate pertrahere. Res ad Sanctæ Inquiſitionis præſides defertur. Ea tempeſtate ex infando,& execrabili hæreſis Lutheranæ diſrupto vlcere, peſtilentiſſimum in totam Germaniam virus eruperat. Viligandum erat vtique ſapientiſſimis viris,& ex alta quadam ſpecula prouidendum, vna quidem ex parte,ne homo, qui nullum adhuc in philoſophicis, ac theologicis facultatibus firmum veſtigium feciſſet, in periculum aliquod erroris incurreret, tractis in eundem lapſum incautis aſſeclis. ex alia verò, ne fortè pietatis ſpecies ita fucum faceret ſubiectæ nequitię, vt fraus macilento perſonata vultu, ſanctitatem prætenderet,plebis ſimplicitati pelliciendæ aptiſſimam. hominum naturam, præſertim vulgi, ad res nouas procliuem eſſe. religione iniecta nihil eſſe potentius, vim veneni

adulte-

adulterinis medicati ſaporibus,molliſſimè diffundi animo: conceptam verò hærere altiſſimè, & ſuperſtitioſa ſalubritatis opinione obſtinatiſſimè, retineri. Ergo a ſacris Fidei Quæſitoribus accerſitur Ignatius. ab alijs itur in alios; vt quoniam Ignatio innocente deerat cauſa iudicibus, eò plures eſſent, ijdemq; integerrimi, & teſtes innocentiæ, & iudices cauſæ. creſcunt conſultationes, deficiente materia. innocentia quieſcente tribunalia fatigantur. Vita,& moribus modeſto ſilentio vocalibus, non eſt quòd vlla ſuggeſtum manus patrona contundat. Euulgata doctrina teſtis eſt ſui: nec cenſorem refugit, quem ſibi peroptat eſſe præſentem. Itaque a ſolicitis Catholicorum dogmatum tutoribus, nouus noſter Eccleſiaſtes varijs quæſtionibus agitatur. Eius doctrina,conciones,viuendi norma, & alia huiuſmodi, ſeueriſſimo ſubijciuntur examini. de ſocijs, & neceſſitudine cum hominibus diuerſæ conditionis, ceteroquin probis, interrogatur. Exercitiorum, vt vocant, liber, accuratè perlegitur, eiuſdemq; materia, dicta, ſententiæ,atque ordo diſcutitur. plurima illi rerum capita diluenda proponuntur. elicita deniquè reſponſa ſingulatim cenſoria lance trutinantur. Verum cum integerrimis, & erga fidem Catholicam fideliſſimis iudicibus, non tam extorquendo per confeſſionem, quod nullum apparebat, delicto,quàm magis,ac magis explorandæ,quæ iam ipſis ſublucere incipiebat innocentiæ, hæc quæ dixi nondum ſufficere viderentur, honeſtiſſimi, ac præclariſſimi facinoris reus in ſordidiſſimum, & tenebricioſiſſimum carcerem conijcitur. Tamtumne? imò verò, & horrifica catena, ſtipiti ſuperiori affixa, tam arctè vtroque aſtringitur pede, vt vix mouere ſe loco poſſet. At quorſum iſta vincula? quis eorum vſus? Vos appello carceris cuſtodes,ac miniſtri,vos inquam,qui veſtro muneri fideles non fuiſtis, eſtote veritati. nonne per id tempus factum eſt, vt uincti,fractis, arte naturali,& catenis, & ianuis,euolarent, ſolo Ignatio in ſuo perſtante ergaſtulo? Ille ille ſui cuſtos ſuit: ille ſibi excubias egit. nullo innexus crimine, trepida impauidus regnauit in compede. Non vos, o fugitiui, ſed Ignatius eluſit vincula. Obſtupuere. ſua ſponte collapſa eſſent, ni cohibuiſſet. vincula vinxit. abſcede lictor. dormite cuſtodes. Onuſta ferro innocentia catenas honorat, catenarum domina libertate. Vitę

integritas ſe ſe conſtantia tutatur,non fuga. neque animi ſecuritas ſubducto vultu,ſed porrecta fronte perlegitur. Non eſt, non eſt quod violentas vobis manus inferatis,vt quondam præfectus cuſtodiæ,qua Doctor gentium detinebatur,ſeu potius, quam detinebat,elapſis fontibus feciſſet,niſi Paulus ſe ſe immotum adeſſe protinùs exclamaſſet. Tanti principis vita mortem præfecto eripuit,ſibi aliquando,at,ò quàm diuerſa pro cauſa,deſtinatam. ſic effectum eſt, vt tale, ac tantum depoſitum a ſemetipſo ſeruatum,minimè fuerit alieno ſanguine redimendum. quamquàm ſi ſe, quod poterat,ſubtraxiſſet,nullis vnquam, ò barbari, veſtrorum imperatorum regumq; theſauris, aut vita aut morte reſarciri potuiſſet.atquè adeò miſer ille,ac præ timore propemodùm exanimatus carceris cuſtos, non indignus ſpiritu iudicandus, quod vnius Pauli corpus ſibi creditum, tam multorum fugientium catervæ, deſperatione teſte prætulerit. Mutata hiſtoriæ materia,imitatorem Diui Pauli celebremus Ignatium. Sed nec immemores nos eſſe oportet, Apoſtolorum principem ab Herode,Hieroſolymis,reorum ſpecu incluſum, ac vinctum, nunquàm è tam caro exceſſurum fuiſſe thalamo, nequè tàm dulci catenæ coniugis complexu ſe auelli paſſurum, niſi cuidam coeleſtis militiæ principi imperanti, ac, penè dicam, per vim, extrahenti, non potuiſſet obſiſtere. Et tamen opus etiam fuit ſomni, noctis,& manus angelicæ miniſterio. Vigil,ægrè ceſſiſſet. dies excitaſſet: & ſine tali ductu,quo palabundus iuiſſet? ſolent alij,cuſtodibus ſopore merſis, cum poſſunt, euadere: hic vigilante multo milite, ſomno correptus abit. alij callent apprimè diuerticula,& ambiguos cuniculorum mæandros; hic nec fugere vult, nec vllas didicit ad effugium vias. alij catè, & aſtu meditato, exeundi modum enucleant: hic improuidus, & ignarus facti, ſomniare ſe credit. O quanta in vno ſpectanda miraculo! ò Dei erga ſuos amorem, & curam ſingularem! quorum ſomnus concipit, & ſomnium generat veritates! quid vigiles, ac ſtudioſi non patrabunt, qui talia dormiendo, ac ſomniando perficiunt? Sic igitur etiam Ignatius carceris imperator, nunqnàm è ſua illa Regia pedem extuliſſet, niſi Chriſtus, qui Petrum ad fundandam, ac ſtabiliendam Eccleſiam vinculis exemit, illum quoquè ad eandem tuendam, ac propagandam abduxiſſet. Si debita,Petre,magnitudini tuæ,ac pontificiæ maieſtati reuerentia

tia patitur, vt & hoc meis dictis adnectam, ò beata, dicam, Ignatij vincula, ſi tuis Hieroſolymitanis, ac Romanis coaluiſſent! Sed cum id nec eſſe poſſet, nec vlla ſubeſſet cauſa, cur eſſet, ille ſe ſuoſq; tibi, ac Romanis Pontificibus, ſucceſſoribus tuis, peculiaris cuiuſdam voti catena multo arctiore deuinxit, promptè ſcilicet, ac ſine vllo viatico parendi, quotieſcumq; illis ad quaslibet gentes, aut Catholica fide imbuendas, aut ab erroribus reuocandas, aut ad ſalutis æternæ conſecutionem promouendas curſum imperarint. Prodigioſa catena, qua vincti volant. Inſaniebas cum tuis, Icare, cereis alis. Ferreas habemus, expeditas ad celeritatem, & non liquabiles ad ſolis ardorem. At quid ago? quis neget in huiuſmodi manicis, & compedibus vim ſolutiſſimam, cum inter eas mea tam longè procurrat oratio? Ad ſuprà igitur commemorata clauſtra, vt me recipiam, aio Compluti ab Inquiſitoribus Ignatium expertum fuiſſe cuſtodiam, quàm Salmanticæ, mitiorem. licet in illa duos ſupra quadraginta, in hac ſeptemdecim tantum dies viderit: grauitate poenæ temporis breuitatem vlciſcente, innocentiæ tempora, & poenas ſuperantis impendio. Viderit? at quem videre poterat in tenebris diem? noctes dicere volui, ſi nox videri poſſet. at videri potuit, ſibi ipſi lucente Ignatio. ipſe ſibi fax, & ſidus fuit. Vt vt ſit, in illo ergaſtulo nullum aſpexit præter ſe ſolem. Non numerauit tamen, nec diſcreuit partes in tempore. In alterutro, vel vtroque illo carcere ſecula deuoraſſet: ſed ſuis in faſtis non digeſſiſſet; quippè quæ in vnum congeſta temporis punctum, inexplebilis patiendi confudiſſet auiditas. Verùm, proh ſuperi! quod genus hoc diſceptationis, quo certant cum reo iudices concordi diſſidio? quo pietas cum pietate, veritas cum veritate contendit? Illi Catholicam doctrinam ſartam tectam conſeruant; hic triumphantem colit. illi verum ad ſalutem iter commonſtrant; hic in hoc ipſum homines inducit; illi virtutis pulchritudinem definiunt; hic ad amplectandam hortatur. Vnus atque idem vtrorumque ſcopus, ac finis. Res anceps, ac ſuſpenſa redditur, pro qua pugnatur, ignara quid impugnetur. ſpeciem prælij ſpectat, & nullum hoſtem videt. contentio, ſecum ipſa contendit. ſi lis ſibi ipſi litem intendit, iudicem quærat ſeipſum iudicantem. Vos ò præſtantiſſimi, ac laborioſiſſimi Eccleſiæ Sanctæ miniſtri, in eadem cum Ignatio ſudatis incude. Vos pro fide or-

thodoxa vitam proijcere parati eſtis; ille nihil concupiſcit ardentius. hic illum in Palæſtinam impetus tulit. recens indè reuerſio, morte durior, quia vita ſuperſtite. Vis eius incaluit in barbaria, tepeſcet in patria? Sed quò tandem recidere omnia? O rerum vniuerſitas, vnum eſto theatrum, in quo huius præcellentiſſimi Herois, inconcuſſa in fide Catholica firmitas, veritas in doctrina, conſtantia in dictis, in reſponſis modeſtia, ſanctitas in moribus, aſperitas in omni vita, acrimonia in concionibus, fax ad virtutes, fulmen in vitia, amor in Deum, in homines caritas, omnia denique ornamenta, decora, & meritorum magnitudo ab omnibus gentibus, ac populis, ſpectetur, intelligatur, & æternitate vrgente celebretur. Ita tunc ab illis integerrimis ſacroſanctæ Fidei Quæſitoribus, Præſidibus, tutelaribus, ſtatutum eſt, pronunciata ſententia, & decreto rato, firmo, ac ſempiterno. Ad foedus, non ad pugnam manus cum Ignatio conſeruiſtis, o Iudices, vnica vtrinquè victoria fuit. iungite dexteras. plaudite, patefacta, & illuſtrata diſquiſitionum ſcena. ite in amplexus. ſi nexum quæritis animorum, in promptu eſt. iſta iſta modò ſoluta, & expli cata, quæ captiuitatis fuere, vertentur in vincula caritatis. Mirabitur veſtra officioſa ſeueritas inuictam Ignatij conſtantiam: reuerebitur fugax vanæ criminationis vmbra, conſpicuam ſtabilis innocentiæ lucem. Agendæ ſunt vobis maximæ gratiæ. iſte carcer Ignatio terrarum immenſitatem, catenæ verò exultantem in ea peragranda libertatem deberi profitentur. O tu quiſquis es, magnæ quidem certè eo tempore apud Cæſarem auctoritatis, adeſdùm, apud omnes homines a te prolati grauiſſimus teſtis elogij. Quàm benè, quàm verè, quàm luculenter, conſpecto, quem in cuſtodia inuiſeras, Ignatio, paulò poſt in nobili conſeſſu exclamaſti: Vidi Paulum in vinculis. Illa tibi vincula ſoluere linguam, & vinxere animam. nunquam tota vita meliùs peroraſti. viſe frequentiùs, & euades de Doctore recondito, diſertus orator; & de celebri eius virtutum præcone, nunquam diſſociabilis imitator. Herculem Galli antiquiſſimis temporibus, ſuam quoquè, ſicut, & alias, prouinciam peruagatum, inter mentita numina ſummo in honore, ac veneratione habuerunt. qui cum ſe ab illo (ea eſt natura gentis) non minaci, ac terrifica domitos claua, ſed eloquentiſſimæ linguæ lenocinio adductos agnoſcerent, inſignem illi ſtatuam erexerunt, è cuius ore

prodiens,

prodiens,& effuſa catena,non minùs molli,quàm tenaci volumine,hominum coetus attraheret, eundemq; Herculem Gallicum appellauerunt. Nec mirum ſanè quod ſic Gallos detineret, qui ſuum ipſe ſimulacrum ſtabilire non poterat,niſi hoc inciſo in baſi dicto *lingua non claua*. O non fabuloſe, ac profane, ſed vere,ac ſacer heros Ignati,nonne vides? En te Gallia præſtolatur: Tibi ſe ſe pandit gemmifera Pariſiorum Lutetia. Illuc tibi tum animorum ſaluti,tum literarum ſtudijs commodiùs operam daturo, Salmantica tranſeundum. Illic non humanæ, ſed diuinæ facundiæ catena,flexibiles animos,Hercules gallice, illigabis; è qua pullulãtes aliæ deinceps tuorum catenulæ, vinctorum idemtidem Chriſto domino populorum nodos foecunda propagine perennabunt. Videre te dudùm in Hiſpania Galli veluti claua pugnantem; nunc in Gallia te ſentient lingua vincentem.

ORATIO X.

Ignatij Pariſientia ſtudia, laborumq; fructus.

PAriſienſem igitur profectionem maturo conſilio perpenſam, & Deo aſpirante decretam, tametſi grauibus tùm viarum difficultate,tùm armorum incurſu, tùm maxima rerum inopia periculis, exequitur animoſus Ignatius. Pariſiorũ Lutetiã contendit,ac tandẽ ſoſpes ingreditur. O non minùs eximij oratores,quàm Oratoriæ facultatis profeſſores eruditi,qui tunc in illa celeberrima, & tot ſeculis aliarum omnium parente academia floruiſtis, vtinam ad hanc qualemcumq; laudationem dicendi vim,ornatum,& copiam veſtræ non imparem afferre poſſem. Dicam tamen hoc in primis memorabile; cum videlicet duæ ſint vrbes præter cæteras, ſine dubio ſpectabiles atq; admirandæ, altera caput,ac domina gentium Roma, ſedes ſummi Eccleſiæ Catholicæ Hierarchæ,& Chriſti Vicarij,propugnaculum orthodoxæ fidei,domicilium ſanctitatis; altera verò totius Chriſtiani orbis maxima,Pariſiorum Lutetia, regis nobiliſſimi regia, fons bonarum artium Muſarumq; Olympus; in hac Societatem Ieſu inchoatam,

iunctam;

thodoxa vitam proijcere parati eſtis; ille nihil concupiſcit ar-dentius. hic illum in Palæſtinam impetus tulit. recens indè re-uerſio, morte durior, quia vita ſuperſtite. Vis eius incaluit in barbaria, tepeſcet in patria? Sed quò tandem recidere omnia? O rerum vniuerſitas, vnum eſto theatrum, in quo huius præcel-lentiſſimi Herois inconcuſſa in fide Catholica firmitas, veritas in doctrina, conſtantia in dictis, in reſponſis modeſtia, ſanctitas in moribus, aſperitas in omni vita, acrimonia in concionibus, fax ad virtutes, fulmen in vitia, amor in Deum, in homines caritas, omnia denique ornamenta, decora, & meritorum magnitudo ab omnibus gentibus, ac populis, ſpectetur, intelligatur, & æternita-te vrgente celebretur. Ita tunc ab illis integerrimis ſacroſan-ctæ Fidei Quæſitoribus, Præſidibus, tutelaribus, ſtatutum eſt, pronunciata ſententia, & decreto rato, firmo, ac ſempiterno. Ad foedus, non ad pugnam manus cum Ignatio conſeruiſtis, o Iudices, vnica vtrinquè victoria fuit. iungite dexteras. plaudite, patefacta, & illuſtrata diſquiſitionum ſcena. ite in amplexus. ſi nexum quæritis animorum, in promptu eſt. iſta iſta modò ſoluta, & explicata, quæ captiuitatis fuere, vertentur in vincula carita-tis. Mirabitur veſtra officioſa ſeueritas inuictam Ignatij con-ſtantiam: reuerebitur fugax vanæ criminationis vmbra, conſpi-cuam ſtabilis innocentiæ lucem. Agendæ ſunt vobis maximæ gratiæ. iſte carcer Ignatio terrarum immenſitatem, catenæ verò exultantem in ea peragranda libertatem deberi profitentur. O tu quiſquis es, magnæ quidem certè eo tempore apud Cæſarem auctoritatis, adeſdùm, apud omnes homines à te prolati grauiſ-ſimus teſtis elogij. Quàm benè, quàm verè, quàm luculenter, conſpecto, quem in cuſtodia inuiſeras, Ignatio, paulò poſt in no-bili conſeſſu exclamaſti: Vidi Paulum in vinculis. Illa tibi vin-cula ſoluere linguam, & vinxere animam. nunquam tota vita meliùs peroraſti. viſe frequentiùs, & euades de Doctore recon-dito, diſertus orator; & de celebri eius virtutum præcone, nun-quam diſſociabilis imitator. Herculem Galli antiquiſſimis tem-poribus, ſuam quoquè, ſicut, & alias, prouinciam peruagatum, in-ter mentita numina ſummo in honore, ac veneratione habue-runt. qui cum ſe ab illo (ea eſt natura gentis) non minaci, ac terrifica domitos claua, ſed eloquentiſſimæ linguæ lenocinio ad-ductos agnoſcerent, inſignem illi ſtatuam erexerunt, è cuius ore
prodiens,

Digitized by Google

prodiens,& effuſa catena,non minùs molli,quàm tenaci volumine,hominum coetus attraheret, eundemq; Herculem Gallicum appellauerunt. Nec mirum ſanè quod ſic Gallos detineret, qui ſuum ipſe ſimulacrum ſtabilire non poterat,niſi hoc inciſo in baſi dicto *lingua non claua*. O non fabuloſe, ac profane, ſed vere,ac ſacer heros Ignati,nonne vides? En te Gallia præſtolatur: Tibi ſe ſe pandit gemmifera Pariſiorum Lutetia. Illuc tibi tum animorum ſaluti,tum literarum ſtudijs commodiùs operam daturo, Salmantica tranſeundum. Illic non humanæ, ſed diuinæ facundiæ catena,flexibiles animos,Hercules gallice, illigabis; è qua pullulātes aliæ deinceps tuorum catenulæ, vinctorum identidem Chriſto domino populorum nodos foecunda propagine perennabunt. Videre te dudùm in Hiſpania Galli veluti claua pugnantem; nunc in Gallia te ſentient lingua vincentem.

ORATIO X.

Ignatij Pariſientia ſtudia, laborumq; fructus.

PAriſienſem igitur profectionem maturo conſilio perpenſam, & Deo aſpirante decretam, tametſi grauibus tùm viarum difficultate,tùm armorum incurſu, tùm maxima rerum inopia periculis, exequitur animoſus Ignatius. Pariſiorū Lutetiā contendit,ac tandē ſoſpes ingreditur. O non minùs eximij oratores,quam Oratoriæ facultatis profeſſores eruditi,qui tunc in illa celeberrima, & tot ſeculis aliarum omnium parente academia floruiſtis, vtinam ad hanc qualemcumq; laudationem dicendi vim,ornatum,& copiam veſtræ non imparem afferre poſſem. Dicam tamen hoc in primis memorabile; cum videlicet duæ ſint vrbes præter cæteras, ſine dubio ſpectabiles atq; admirandæ, altera caput,ac domina gentium Roma, ſedes ſummi Eccleſiæ Catholicæ Hierarchæ,& Chriſti Vicarij,propugnaculum orthodoxæ fidei,domicilium ſanctitatis; altera verò totius Chriſtiani orbis maxima,Pariſiorum Lutetia, regis nobiliſſimi regia, fons bonarum artium Muſarumq; Olympus; in hac Societatem Ieſu inchoatam,

iunctam;

iunctam; in illa verò fundatam, atque a Romano Pontifice approbatam,& confirmatam fuiſſe.& eam quidem diuerſarum non minùs moribus ſemper,quam eo tempore armis pugnantium inter ſe nationum hominibus conflatam, & conſtitutam. Hæc non alia potuit quàm illius ſupremi ducis,cuius nomine inſignita eſt, potentia exiſtere: neque vllo meliore conſilio,quàm è duobus illis primarijs locis in alias omnes prouincias, ac regna diſpergi. Faceſſat hinc procul equus ille Troianus, è quo, vt ait oratorum rex, meri principes extiterunt. Machinæ ligneæ vterus Græcorum fraude grauidus,proditoria votiuæ religionis imagine,Iliacum interitum peperit. At huius inuictæ Societatis phalanges è literarijs Pariſienſibus caſtris, & Romanis inconcuſſæ veritatis arcibus, ad alias quaſcumq; ciuitates,vera, & ſincera pietate reſtaurandas, aut muniendas, coniurata concordia prodierunt. Age verò non mihi tantum ſumo, vt quæ Lutetiæ Ignatius egit, ac pertulit, deſcribere me poſſe confidam. Labores eius mihi ſudorem,curæ ſolicitudinem, & poenæ dolorem indicunt. Plus ego in dicendo difficultatis experior,quàm ille in agendo, ac patiendo moleſtiæ. Barcinone, tertio ſupra trigeſimum vitæ anno, non erubuerat inter grammatici tirocinij, penè dicam crepundia,in Chriſti gratiam repueraſcere.mox, adhuc in incunabulis,Compluti,aliorum ſuaſu,ad altiores diſciplinas manus puſillas erexerat. & ecce Pariſijs facilè perſenſit hactenùs ſibi ſuſpectum immaturum Barcinonenſis ſtudij foetum. Quapropter iterum repueraſcere ſpontè coactus eſt. O præcelſe Ignati,quantum te deprimis! Libera, & cara humilitas tua, cum neceſſaria, & inuiſa ſibi ſublimitate contendit. Vtra vincat, incertum eſt. Semel puerum eſſe,naturæ eſt: bis, inſignis patientiæ: ter, inauditæ virtutis. Vita procurrit ab infantia in ſenectam. reuocari nunquàm poteſt. at amor diuinus, licet conſtantiſſimus, habet alas verſatiles; reciprocat cum opus eſt. Verùm quandoquidem non puduit Deum,hominem factum, in cunis vagire, pudeatnè hominem in puerorum grege balbutire? Iam profectò nec erit quod mea puerilis contemni poſſit oratio; niſi quod infantium more ſeipſam non luget. in hoc,digna riſu eſt: in reliquis,venia. quamquàm quid eſt quòd lugeat,cum non ſic facundiæ in ſe demortuæ nænia, ſed ſemper victuræ laudis alienæ qualecumq; præconium? & verò etiam quis eloquentiam in me, iam ſene, deſideret,

deſideret, quæ nunquam fuit in iuuene? quis in Theologiæ tot annis magiſtro, quæ non quondam in Rhetoricæ breui diſcipulo? Diſcam nunc tecum, Ignati, loqui, ſi potero. nunc mea tecum repueraſcet oratio. Proſequere. tametſi fræno, non ſtimulo eges. Probè nimirum intelligis turpius eſſe virum nihil ſcire, quàm puerum nihil diſcere. Præſtat ſerò ſapere, quàm ſemper deſipere. Quid quod tuo nos exemplo doces; litterarum ſtudijs vacare ad bonum commune, ſola ſibi propoſita Dei gloria, non eſſe diſcriminis temporum argumentum, ſed piæ voluntatis obſequium? Sapientiæ deſiderium iuuenilis quidem ætatis eſt; acquiſitio, virilis; fruitio, ſeneſcentis. attamen quodlibet tempus, honeſto ſtudio, tempus eſt; & poteſt prẹteriti iactura temporis, ſolicito præſentis raptu compenſari. Horæ prodigæ ſunt ſui; nos illis auari ſumus. Vir doctrinæ cupiditate flagrans, annum in diem contrahit, & vitam in annum. Segnities protendit ſecula. Tempus actionum noſtrarum menſura eſt. metire tu potiùs illud actione tua; eiuſq; durationem operoſo mendacio corripe. Sic temporis quantitas, non adæquans operis magnitudinem, augebit operantis gloriam. Dies latet in die; & ſe tamen furandum exhibet. & quamquàm fugitiuum, ſiſti ſe patitur. O quàm proficua ex hac Ignatij ſapientiſſima virili pueritia, vitæ documenta decerpimus! In hac igitur Pariſienſi Academia, erutis, ac diiectis prioribus illis quæ Barcinone, pia feſtinatione, iecerat debilibus fundamentis, noua, eademq; firmiſſima poſuit, ad erigendam, ac perficiendam Philoſophiæ, ac Theologiæ tutiſſimam arcem. erexit ille feliciter, tandemq; perfecit. ſed ijs curis, & incommodis, quæ ipſorummet magiſtrorum domicilia labefactare potuiſſent. Hoc enim veriſſimè dicam, ea quæ toto illo ſtudiorum tempore perpeſſus eſt, eiuſmodi eſſe, vt non minùs certiſſimam hiſtoriæ fidem, quàm diſertiſſimi Oratoris eloquentiam ſuperent. Quis tunc illi curator? deſertor. Vndè ſtips? fortitò à prætereuntibus. quis cibus? aridus panis, volam eludens. quis potus? Latex de triuio. quæ veſtis? Lacerna, defricando, non fouendo corpori. quod pedum vacillantium munimentum? nuditas. quæ ſoleæ? omnino, benè impactæ, & hærentes; ipſæ videlicet plantæ, duratæ, & calloſæ. niſi fortè illas timidè miſericors lutum emolliret; aut gelu, è diſſectis corruptum ſanguinem, viuido puriorem, triſti voluptate mulgeret.

quæ

quæ domus? publicum D. Iacobi hoſpitium. quod ſtratum? proiecti humum aſſeres. quæ ad ſcholas via? longiſſima. ita vt illius viæ quotidiana quaterna iteratione, infelix huius ſtrenui diſcipuli diligentia non minùs tempus, quàm iter tereret; nec minorem fatigatæ tot excurſionibus diei moleſtiam coacta mouere, quam valentiſſimo cuique, nedum debili, & claudo pediti laſſitudinem afferre poſſet. ſed nunquàm niſi in ſui cura claudicare videbatur Ignatius, neque niſi in valetudine tuenda languere. O vitæ ratio ſcientiæ adipiſcendæ commodè, & bellè inſtructa! ſcilicet. Quid quod in illa, vt vocant, Vniuerſitate, antè diluculum patent gymnaſia? Illic ſapientia clauſo adhuc coelo ſuas aperit opes. tunc nocturnæ faces ſurgenti moras improperant ſoli. Illic doctrinarum conquiſitio non diſcriminat lucem. vna illi ab ingenio lux eſt, quæ in vigili mente iam altè proceſſit, oriente verecundo ſole. Illic aurora non magis rubeſcit ſolis ſubſequentis radio picta, quàm ſuffuſa pudore, conſpecto ſolicito labore diſcipuli præcurrentis. Ad veſperam verò ſcholaſticæ itidem lampades, ac luminaria, non præſtolantur ſolis occaſum, ſed abigunt ſolem. Illic ſe non intendunt animo tenebræ, ſubducta corporea luce. Gymnaſticum coelum ibi non clauditur. alijs ſcintillat ſideribus, alio fulget ſole, qui & ipſos luſtrare poſſit antipodas. Ibis ibis iſtinc Xaueri Franciſce, & aliquando extimum illum alium dimidium orbem immenſis ſplendoribus vſquequaquè perfundes. Tuis autem, Ignati, iam calent ignibus quæcumque te oppida audiuere loquentem; iam tuis clareſcunt radijs quæcunque te loca videre præſentem, & paulò poſt totus hic noſter citimus orbis tuæ caritatis incendio conflagrabit. Sed ad Diui Iacobi Xenodochium iterum me conuerto. Cum loci decretis, ſol oriens eius oſtia recluderet, occidens obſeraret, (papæ! quàm nobilis, ac fidelis pauperum ianitor) fiebat, vt Ignatius qui non poſſet integras prælectiones excipere, multòq; minùs ſcholaſticis exercitationibus intereſſe, ingenti, ac neceſſario laborum fructu priuari, & non tam exercere ingenium, quàm pedes; neque tàm cum libris, quàm cum viribus ſuis habere commercia cogeretur. Quid ageret? quò ſe verteret? quid conſilij caperet? O diuine amor, ingeniorum ingenium, artium artifex, atque oppoſitorum moliminum dirutor, quid obſcurum, quid inuium, quid arduum tibi? Etenim Ignatius

cuipiam

cupiam illius Academiæ magiſtro ſe in famulum locare, hac tantùm mercede conſtituit, vt diuiſis ſui miniſterij partibus, iiſdemq; expletis, ſi quid, inſidiator non cauendus, intercipere temporis poſſet, totum id in aliquo ſibi ex illius aut alterius doctoris eruditiſſima poſſeſſione vellicando fructu conſumeret. atquè adeò prudens herus quod ex horis neceſſarium non eſſet domeſticæ rei, vltrò ſurripiendum obijceret induſtriæ famuli. vt ſic fouere pretioſum furem, & fidelem famulum alere poſſet. Summi quondam Patriarchæ erga ſponſam, non minùs mente, quàm vultu decoram, patienter impatiens amor; longa annorum ſpatia, mendaci veri ſeruitij breuitate menſus eſt. Ignatius tàm amplæ, tàm præclaræ Societatis, & Sacræ militiæ futurus imperator, ad ineundum cum coeleſti ſapientia coniugium, iugo liberæ ſeruitutis, venerabili ambitione, colla non ſubderet? neque tu illi menſuram temporis porrigas. aſpice vinculi nuptialis imaginem; annulus eſt; circulus eſt; termino caret. Verùm ne id quidèm, quod modò dicebam, in illis Pariſienſibus gymnaſijs, vlla perueſtigatione, aut amicorum procuratione conſequi potuit. O nouum, & inauditum ærumnæ genus! nobiliſſimo, & paucis antè annis opulentiſſimo domino, non licere pauperrimum vernam, & viliſſimum eſſe mancipium. Seruitus extremum ferè malorum eſt. at hæc, ingentis boni loco expetita, denegatur Ignatio. Sed quidquid accidat, illi ſemper prouidet Deus. non inuenta ſeruitus, maiorem ad eius res libertatem obtulit. incommodum non conceſſum, in vtilius commodum ceſſit. quandoquidem in Germania inferiore, & Britannia Hiſpani quidam negotiatores, viri boni, cognito ſtatu hominis, certam quandam quotannis illi pecuniæ ſummam Pariſijs, eleemoſynæ nomine ſtatuerunt. Quamobrem in aliud opportunius diuerſorium, mutato hoſpitio, & ab illa violenta ſtudiorum ratione liber effectus, abſumpto in grammaticis, & mitioribus literis ſeſquianno, philoſophiæ ſe tradit. Corporis vires, præcipuè verò ſtomachi, labantes fulcire, quamquàm ſeriùs quàm oporteret, nititur. ac propterea intendendis animi neruis in propoſitum ſibi ſcientiæ ſcopum, prudentiæ monitu, quantum par eſſet, de nimia ſeueritate vitæ remittit. At nunquàmne certaminum finis? Pugna, pugnæ, victoria victoriæ fit ſemen. Hactenùs patiendi deſiderio ardens, multiplici poenarum cohorte contra ſe militauit Ignatius: nunc

licet eadem cupiditate creſcente, cogitur in poenas ipſas arma conuertere. Anteà in aſperandis operoſus fuit: nunc illi ſudandum in mitigandis. Dura conditio, ambiguo certamine, an in bonum aggreſſoris, an damnum. Minuendus labor, laboris augmentum denunciat. Mirum eſt tormenta ſui diſſolutione torquere; leuitatemq; dolori ſociatam, grauidari ad abortiuum maioris doloris egeſtum. Pondus in ſtatera, detractis oppoſito ponderi aliquot momentis, depreſſam recumbit in lancem. Eſt igitur Ignatio cum præterita ſui vexatione conflictus. Ille obſidet, vt partes aliquas amoliatur: illa obſiſtit, ne pauliſper ſemota, maiorem inducat. Verendum eſt ne ille, & ſe, & ſuos quoque cruciatus excruciet. attamen in ſententia perſtat. Priùs ſe domuerat; nunc ſui domitoris fit domitor. Nullam hic ampliùs triumphi materiam video: niſi forte victor, qui ſe ſui victorem vicit, ſeipſum quoque trophæum ſtatuat ſibi. At multo copioſior deinceps triumphorum ſeges effloreſcet. adeò vt ſuborta aemulatione, illi ſe ſint ad pugnam prouocaturi. Dimicabunt. Vnus verò cæteros omnes vincat oportet. Quamobrem triumphus non ſolùm de tot, ac tantis triumphis, verumetiam ſeipſo magnitudine ſua oppreſſo ſuperior, de ſe quoquè tandem aliquando triumphabit. Euge igitur, accurrite iam ad hoc nouum ſpectaculum, Pariſienſes. Ignatius cùm aliquid de corporis afflictatione, ſed nihil nec de ſui, nec de aliorum animi cura remitteret, coeleſtis regni publicanus, ac procurator, à ſtudijs bonarum artium tributa pietati exigit; ſcholas Deo vectigales facit. Dies nimirum diuino cultui dicatos, ſibi ſuiſq; quos ſalutaribus colloquijs, & commentationibus ad meliorem frugem perduxerat, religioſiſſimos eſſe vult. His clientibus Sacramentorum Eccleſiæ vſum, non minùs fructuoſum, ac reuerendum, quàm ſapidum, ac familiarem reddit. Habeant, hortatur, feſtis diebus antemeridiano quidem certè tempore, templa pro ſcholis, ſuggeſtus pro cathedris, concionatores pro magiſtris, preces horarias pro ceteris libris, culparum confeſſionem pro lauacro, Sacroſanctum corporis Chriſti ferculum pro nutrimento. Et eccè vniuerſam rempublicam literariam reclamantem, & in Ignatium tamquam gymnaſij leges infringentem, vehementiſſimè concitatam.

OR A-

ORATIO XI.

Virgarum ſupplicium Ignatij virtuti paratum.

ERat Pariſienſis Academiæ conſuetudo, vt cum in alijs multarum vrbium Collegijs, vulgare illud dictum ſolemne haberetur, (diebus feſtis vacatur à ſcholis) literulam, à, reipſa expungeret. ita vt dies, ſtudio eſſent dies; neque feſti, aut nefaſti, aut profeſti agnoſcerent cognomina, ſed penſa requirerent. Sol cum Luna, lucernis, & facibus, lucis diſſidio, conſpirabant in idem opus. At profectò, poſthabito Chriſtiani hominis officio, noctes iniquæ mentis, tenebrarum concordia, operam atque hominem perdunt. Deo reddenda quæ Dei ſunt. Ille vnicus atque vltimus ſtudiorum, ac rerum omnium finis. Peruerſum eſt media fini præponere, & inſipiẽtis ſapiẽtiæ, quæ ad ſalutẽ æternã directa eſſe debent, detorquere aliò, mox ad ruinam futura procliuia. Neque id ſanè primi quondam illius Academiæ Præſides ac Rectores, non minùs probitate, quàm doctrina ſpectabiles ignorabant; ſed cùm viderent in tanto Collegiorum numero, quæ, ſcilicet, tertiam Lutetiæ Pariſiorum partem re & nomine ſecernunt ab alijs, nec non in tanta ſcholaſticorum, ex omnibus terrarum partibus confluentium multitudine, complures eſſe, qui eò iuuenili licentia prolaberentur, vt ſui ergà Deum, & erga ſe debiti parùm memores, feſtos dies ludis, choreis, compotationibus, iocis, ac turpi otio celebrarent; illi pro ſua prudentia, gymnaſiorum munia continua, quotidiè, ad ſolitum ſtudij fructum, quàm ad maius ſalutis animi detrimentum interrumpi, præſtabilius eſſe iudicarunt. Enimuerò minus malum videri debere, tempora peculiari rerum omnium conditoris, ac Sanctorum venerationi conſtituta, Mineruæ potiùs quàm Veneri; Apollini, quàm Baccho; Mercurio, quàm Vulcano; muſis, quàm nymphis; ſcholæ, quam cauponæ; libris, quàm aleæ; modeſtis concertationibus, quàm petulantibus rixis concedere. fateor, benè habet. Sed heu! ita ne cum Deo agitur? ergone temporum domino, ſi quando ille venit in mentem, momentaneæ morulæ fragmentum pro cenſu proijcitur? hoccine Deus lapideis

 olim

olim ſuo ipſemet digito ſcripſit in paginis? Arma furore dexteram, Moſes, veneranda regis ſupremi legifera ſaxa confringe. Non iam vitulus gratijs Numini agendis, ſed ipſimet vitulo, ſaltatione adorato, tantorum beneficiorum memoria, Deo fruſtrà è vertice montis Synai fulminante, mactatur. Feſtiuæ laſciuiæ mollities vicina rupe fit durior: in illa ſupremi legiſlatoris decreta incidi non poſſunt. Quantò igitur meliùs, quantò facilius fuiſſet, ſacris, Eccleſiæ præcepto, diebus, adoleſcentes vitali doctrinæ Chriſtianæ vbere lactare; pijs tùm concionibus, tùm voluminibus educare; Eccleſiaſticis denique corroborare Sacramentis? Tunc verò, tunc ſcholaſtici, ſtatis illis temporibus, ſua ſe ſpontè in templa fudiſſent. Ibi, non exigua diei parte conſumpta, edocti officia diuina cum humanis, & literas cum integritate morum coniungere; tempus reliquum domi, foriſq; partim honeſta relaxatione animi, partim prælectionum recognitione, aut ſcriptione tranſegiſſent. Tunc deniquè decurſis ſtudiorum ſpatijs, Collegia illos virtute, & ſcientia commendabiles, in patriam ad parentes, conſanguineos, amicos, tanquam pignora ſibi credita fideliter remiſiſſent. Sed vt ad conſilia quæ in Ignatium a præceptoribus, & gymnaſij rectoribus ſecreto conferuntur, aures admoueam, dies dicitur in tenebris pietati: religio tacitè vocatur ad tribunal: cauſa non cognita cõſcientiam obnubilat. Ignatio innocenti aula occultè decernitur, ne fortè ſibi fuga maturè conſulat. Aula inibi genus eſt ſupplicij, ab aula Collegij maxima, qua exercetur, ſic vocitatum; & illud quidẽ non minùs ignominioſum, quàm acerbum. Ad hoc armatur magiſtrorum, ac diſcipulorum exercitus: ſinguli, ad inuidiam, in rei nudati tergum definito ictuum numero formidabili alacritate moliuntur: niſi quod diſcipuli multò ſunt magiſtris hac in re doctiores. Tali ſpecie lictorum, honorifice vapulat reus, ad maiorem infamiam; & tanta lacertorum varietate ad cruciatum atrociorem. O quot in vnam incudem mallei! quot in ſubiectos humeros aratra! quot in vnum ſcopum ſagittæ! Summa criminationis in Ignatium, ex ijs quæ ſuprà narraui promptè colligi poteſt. Ille igitur tota re ſibi nihil ſuſpicanti ab amico delata, hæret primò, agitante erga ſuos cura, conſtantia non fluctuante. Mox, o felix, inquit, hora, mearum pars aliqua voluptatum! o munus, cupidini quidem meæ perexiguum, ſed meo merito maius. Ite, ite

pedes. hæc mihi, vobiſq; noua,& a gymnaſio non vetita feſta celebritas. Cur non iam tàm amplo exultatis in aulæ conuentu? Inſtructum eſt ibi lautiſſimum conuiuium. Iam audire videor ſymphoniam, humerorum percuſſione conuitiorum concentum dirigente, gratiſſimam! reuulſæ ab humeris diſſectæq; fibrae deducentur in fides, ad ſuauem citharæ ſonum, feriente flagelli plectro mihi Apollineo iucundiore. Vobis autem, ò amici cantores,ac citharoedi aulici, ludentibus in meum tergum, mihiq; de honore tergi enixè gratulanti,ſi fortè labor ſitim (quamquã longè diuerſam)excitarit,vtinã in copioſam meus ſanguis vertatur ambroſiam! Oppidò largius potabo; ardentius æſtuo. Si verò fames ſitim commutabitur, ſint veſtra placita,& contumeliæ in me concoctæ pro nectare. Currite animoſi pedes;eripite cenſoribus veſtræ fugæ timorem,& quærendi laborem. Eſtote vos quoque manus ſeduli erga me lictores, non inijciendis, ſed eximendis, quæ me nunc diutiùs quàm vellem,detinent, vinculis: truncate quas trahunt moras. Collegij, non ſupplicij moderatores contra me conſilia, & decreta in tenebris condiderunt. Euulgabo primus. occupabo qui me inopinatò irretire geſtiunt. ſentient plus ineſſe in innocentia fiduciæ,quàm in iſta criminatione veritatis. ſtatuam egomet me aula in media conſpicuum; & tùm demùm tempeſtas tota ſubeatur. At heu! miſerum me, quis erit meorum ſenſus alumnorum? Ah! ne non tàm in me, quàm in eos procella iſta deſæuiat! Ah ne dedecus,ac tormenta, mihi honoribus, ac delicijs cariora,illos a me,tanquàm ab improbo, alienatos, in graue alicuius mali diſcrimen adducant. Ergòne hoc deerat puniendis vitæ meæ præteritæ culpis, vt ſine aliorum damno mihi vtilis eſſe non poſſem? Non tàm me, quàm vos, ò animæ meæ,iam prurientia flagella diſcerpent. Mite mihi fuiſſet mei ſolius ſupplicium.at nunc, ò crudele (ignoſce amor, ſic loqui me cogis) crudele,inquàm, quia geminum; meo ſcilicet, ac veſtro ſimul excrucior. meo tamen quia veſtro; cæteroquin meo mihi proficuo. ſed ſi vos amo, veſtræ rationes meis ſunt commodis anteponendæ. Vincat igitur veſtra cauſa, non mea. Dùm à noſtris præſidibus, ac magiſtris Senatuſconſultum fit contra me in abdito loco, ſatiùs eſt vt & ego in aliquas ſecedam latebras, donec Deus,ſedata tempeſtate, ſua luce detergat ab eorum oculis nubem. Sed hem! quid cogito? quid aio? non me

pudet

pudet ſic mecum loqui? nonne ille ego idem ſum qui fui?vbi vbi mea illa penè dicam impatiens fames,ac ſitis ſorbendi carnificinas, exhauriendi admixta ſanguine opprobria? Ergòne tam vberem cupiditatis explendæ materiam nunc mihi oblatam excidere patiar? Ergòne virgas, quas mundi effector regumq; dominator Deus vt vile mancipium vltrò excepit, ego abiectiſſimus hominum recuſabo? Auertat hanc a me Deus non poenam, ſed culpam. Verum,hei mihi! rurſus ab vno in aliud reuoluor; iterumq; iterumq;angor. nimirum vt valdè diſpar vtriuſque ratio,ſic oppoſitus mihi eſt exitus pertimeſcendus. Chriſti tormenta ignominiæ,atque acerbiſſima mors pretium fuere humano generi redimendo. hæc verò quæ perpeti paratus ſum, cui bono, præterquam mihi? Maximè vereor ne puſillo gregi, quem Chriſto coeleſtibus pabulis enutrio,graui exitio ſint futura. Hic anceps animi,ac nutans Ignatius, Dei cauſam Deo ipſi committere ſtatuit: Goueanum Collegij rectorem, vt diuinæ voluntatis interpretem, eligere: illum adire: quidquid reſponderit, id ſe inſtar oraculi habiturum. Dictum factum. in Collegium aduolat: Goueanum nondum in aulam progreſſum, non minùs pacato animo,quàm ſereno vultu ſic paucis affatur:Goueane, vir optime, huius qualiſcumque ſtudij, laboriſq; mei finis, ſalus hominum eſt, ad Dei ſolius gloriam. Ego non euerto veſtri ſtatuta gymnaſij, dum me diuinis legibus ſubijcio: neque detrecto inſtans mihi ſupplicium, cui me ſpontè offero,vt vides. quippè qui veſtrum in me decretum iam antè cognoui; & tamen in Collegium,vt ſoleo,veni. Cur enim conſcientia id refugeret, quò ſe non intulit culpa?Horrore verò poenæ non riget,qui ardet Chriſti cauſa necis amore. Hoc vnum igitur me male habet, ac valde ſolicitum tenet; ad quod,pro tua eximia in Deum pietate,remedium afferre potes, & pro perfecta in gubernando ſingulari prudentia, conſilium dare. Ego recentes, ac teneros in Chriſto foetus lacto,& educo. magnopere cauendum mihi eſt, ne fortè ex iſta tam infami animaduerſione, ſeductorem me, quod abſit, & corruptorem ſuſpicati,auerſentur. & quidem ſuo detrimento, veſtra culpa, me innoxio. Hæc ſumma eſt. Dei cauſam tueor: vos gymnaſij. An me, & Deum ipſum reos eſſe oporteat, iudicate. Hæc ille. Cuius vox,tanquam diuina, Goueani ſtupore defixi,& facti poenitentia perculſi,vocem ita oppreſſit,vt hic illum

reuerenti

reuerenti inceſſu, & manu beneuola in aulam deduxerit. Iam illic omnes, tanquam in acie telis ſcholaſticis inſtructa, diſpoſiti, ſtabant. Goueanus extemplò omnibus demirantibus, & rei nouitate attonitis, ad pedes Ignatij ſupplex accidit, & non minore lacrymarum, quàm verborum vi, ſe ſe accuſat; delictum fatetur; orat ſibi cæteriſq; ignoſci: magnificam de illius virtutibus orationem habet. de iudice innocentis, paulò antè non æquo, fit veriſſimus præco manifeſtæ veritatis. Sic tranſiere odia in amorem, faſtidia in amplexus, conuicia in laudes, flagra in palmam, virgae in corollas, denique in theatrum honoris, aula ſupplicij. O quanta ex vno dedecore oblato, non quæſita gloria!

ORATIO XII.

Inauditum Ignatij factum auocando ab obſcoenis amoribus homini.

TAndem igitur ſui, & aliorum victor Ignatius, liber redit ad inſtituta pietatis officia, captiua tamen remanente in eius corde flamma, quam vehemens atrocis illius, ac probroſæ lanienae deſiderium accenderat; quippe cui, nō ſulcato virgis corpore, negata fuit euadendi via. Eſto Ignati bono animo; ſi non erupit, feliciter coercita eſt. Tenè nimium depaſcitur? ne dubita. ſi ſanguine non potuit, vndis fortaſsè temperabitur. En ſtagnum tibi ſe ſe nunc aperit; non æſtiua anhelante canicula ad voluptatem refrigerij, ſed rigidiſſima hyeme, & ſuimet frigoris impatiente, neceſſaria caloris fomenta inclamante. Nunc te à Collegio montis acuti, gelu acutius profundum in gurgitem vndarum vocat. En taurus libidine furens, iuuenis ille dico laſciuus, à te fruſtrà toties vehementer increpitus, ad amicam, ad ſuos amores non longè ab vrbe de nocte feſtinat; turpitudinem nocturnis vmbris conatus obtegere. aſpice. ignis tuus, qui mox in vndis ferueſcet, nunc lucet in tenebris. præi, præcurre, præuola, venator caſtiſſime: oppone inſidias, prædare alienæ pudicitiæ prædatorem. ſed quanam arte? quibus caſſibus? que venabulo? quibus iaculis?

O cari-

O caritatem, & ſalutare ingenium ſeculis omnibus, literis, monumentis conſignandum! Ignatius ſtagnum glacie armatum, nudato perrumpit corpore: ſe ſe collo tenùs immergit; oculis atque ore ad meditatum officium ſibi relicto. tum amatorem obſcoenum, eo quo tranſeundum illi erat, ponte ſublimem, ſic tonante, ac terrifica voce compellat: Quò quò perdite? tune tuo ſcelere toties tàm grauem iniuriam Deo? Quamdiu tandèm inſanies? non vides, non ſentis, non horreſcis coeleſtis iræ in te imminens fulmen? Vide quid agas. Ego verò hic perſtabo: hic me tamdiù frigore vram, quoad aut te a tanto flagitio auertam, aut Deũ a vindicta. Iuuenis hoc igneo vocis iaculo gelida ex vnda, tanquàm fulmine frigidis è nubibus erumpente percitus, ac præ ſtupore, impos, imò vero compos nunc primùm ſui, gradum cum voluntate reuocat. Mirum eſt quod ſe quoque in illam paludem repente non immiſerit. Erubuit. verecundus eſſe incipiebat. timuit ne lutulentus pollueret aquas, Ignatij complexu, electro puriores. O beatum nouum caſtimoniæ amatorem, ſi fortè illi tunc in eo Ignatij cum vndis coniugio paranymphum eſſe contigiſſet! eius pectoris gelu in flammis Ignatij honeſtiſſimis ſolutum eſſet, nimiumq; diù graſſata turpis flamma prorſus extincta. imò verò illic non ſolùm calor cum frigore, ſed etiam ignis cum igne pugnaſſet: purus videlicet cum foedo; totumq; ille animum occupaſſet, nullo huius relicto veſtigio. O velut altera Probatica piſcina, ab Ignatio, nouo quodam angelo, Dei præpotẽtis virtute commota! quam non ab illo iuuene, in te demerſo, ægritudinem abſterſiſſes, quę extrà poſito, & eminùs ſtanti ſanitatem contuliſti? quas non illi delicias peperiſſes, qui plùs in te ineſſe ſenſit, quàm in ſuo præterito coeno voluptatis? quas in te ſenſiſſet vmbras, qui hanc fortunatiſſimam noctem vidit sereniſsimo die clariorem? At tu ò nocturna ſidereorum ordinum ductrix, quàm libentiùs, morata curſum, & verſis deorſum quadrigis, in hoc cryſtallino coelo, Ignatio, alteri ſoli vicina fulſiſſes! Te fuit imago tua his nitentibus vndis, tanquàm ſpeculo, reddita, multò felicior. aliqua te, opinor, inuidia pupugit. te tunc Lunæ imaginem, quàm Lunam maluiſſes. Si cui fortè in poſterum ad clandeſtinum, cum vitioſa forma commercium, noctu iſtàc tranſeunti vſui fueris, hæc tui vultus effigies illum quidem illicò raptum ſiſtet, alloque conuertet: te vero iter docebit, quo demẽtatos

coeco

coeco cupidine homines, lucidæ menti reſtitutos, ad mundiſſimum, & per ſe amabile veri boni conſortium dirigas. Sic tuæ imaginis imago fies. Te, mutato nomine, Dianam venatricem fabuloſa finxit antiquitas: diſce ab Ignatio, ſalutifero venatore, quas oporteat perſequi, & capere prædas. qui ſic edoctam hic eluſerint, te non effugient Hecatem apud inferos imperantem. Ne me tamen, ſuggilles, quòd enarrans vera, fabuloſas de te vmbras tuæ luci obiter aſpergam. agnoſce potiùs quanta ſit potentia veritatis, cui, quamquàm non indigenti, vel ipſæmet fabulæ adeò famulantur, vt illæ ad ſe aliquid trahant veri, dùm ſeruiúnt vero. Quàm nobile præmium ſeruitutis! At tu aſtrorum princeps pulcherrime, qui veſpertinus, ac laſſus in immenſum cadis oceanum, ò ſi fieri potuiſſet, quàm cupidè, curru deflexo elapſus, in hoc Ignatij, quamquam anguſto, cubili recubuiſſes. Plures aliquandò in coelo ſoles apparuere. hic verò, in hac, inquàm, vnda coeli æmula, ò prodigium non antè viſum! geminos quoquè in tenebris fulgentes nox illa vidiſſet. Quid noctem dixi? quid in tenebris? pugnantia loquor, aut inauditum miraculum? Duo ſiquidem ſimul iuncti ſoles congeminant diem. Itaque nox, & tenebræ fugatæ, in meam, vt video, ſe ſe orationem recipiunt. Magna profectò in Ignatio, è duobus nobiliore vtiquè ſole, fulgoris vehementia, quandoquidem hebetata intuentis ingenij acie, caliginem in ſermonem diſſerentis offundit. Tu verò ſol alter, quamquàm luminum largitor, maius ab illo, quam abs te Luna, eo tunc in loco mendicaſſes. Sed hic non eſt opus te. vnus ſufficit. Eſto ſpectator è coelo, non comes in vndis. Ex hoc igitur ſuorum in lacunā concurſu, & conflictu radiorum ardebat Ignatius. Surſum ſe ſe incendium extulit. inuoluit imminentem ex alto iuuenem; ſic, vim ſenſit ardoris, ambiguus de reditu, an de mora. Hæſiſſet diu ad tale, ac tantum ſpectaculum, niſi ſe impium, & crudelem aliena pietate, ac beneficio veritus eſſet. Horruit ſui ſceleris vindictam, ac poenam in incontaminato corpore innocentis exercitam. Intumuiſſent eius lacrymis ſubiecti gurgites. eſſet opinor eius ſuſpirijs in hoc breui æquore coorta tempeſtas. Sed credibile eſt paulò poſt in domeſtico portu, ac ſeceſſu, recluſas ab illo fuiſſe dolori, ac fletibus vias, quas tàm graui alterius diſpendio, hyeme, noctu, ſub dio, in glaciali ſepulchro vigilantis, ne ipſa quidem immanitas auſa vnquàm eſſet

H aperire.

Digitized by Google

[illegible] admirabili, anteactæ [illegible] & [illegible], & dicere quòd ado- [illegible] erga ſe, [illegible] erga Dominum, oculis, [illegible] domino, dum nihilo [illegible] ſuo. [illegible] etiam è magis poeti- [illegible] plerumque oblectabit, recurrit in memo- [illegible] emolumentum. Ve- [illegible] fuit? quid nam? Patere fabuloſam ne- [illegible] conferri. Cogita igitur longe [illegible] eſſe, quam cum Helleſpontiacon quon- dam [illegible] Boſphorum ex Abydo in Seſtum trajiceret. Hic [illegible] amore [illegible] amoris ardens ſiti, hauſtis [illegible] aquis, vitam miſer [illegible]; ſolo teſte, ac herede relicto ſuæ erga neſcio quam fidei, [illegible], vt credebat, perituræ, infi- do, ac [illegible] pelago. O digna meliori amore con- ſtantia! At verò, ne taſto quidem hoc breui freto Ignatij; ſed ex édito pontis margine, ſolum proſpectu, fecere tua vitia, non vita naufragium. Itaque te felix exitus illi diſſimilem reddidit, cui miſeranda libido fecerat antè perſimilem. Quo fit vt te palu- ſtre illud gelu ſit multo pertinacius. tu ſiquidem ad aſpectum Ignatij molleſcis, illud dureſcit ad contactum. tua glacies igne- ſcit ad auram procul ſpirantis Ignatij. hoc verò gelu in igne ge- laſcit. Vir, non minore patientia, quàm caritate, acres tàm ſæui frigoris vltrò in ſe admittit aculeos; frigus verò ignea illius re- pellit ſpicula. O ſtagnum adamantino algore obfirmatum! non ſentis Ignatium ſe ſe in te macerantem? Si te ignis in vn- das non reſoluit, commiſeratio ſoluat in la[illegible]mas. Igna- tius alienam duritiem hic deplorat; tu [illegible] tuam? Si poteſt ignis plorare, cur vnda fle[illegible] nequit; nunc concreta fleat. ſtagna g[illegible]ore laxan- tur: tu adeò ingenti non [illegible]ere poſthaq aereum fieri, quod nu[illegible]te non liqueſcis. Mirum e[illegible]e con- ſumptum. Sed [illegible] viri vo- luntati tribuen[illegible] vallatum penetrauit, vt [illegible]vero ſuſtinet, & confirmat v[illegible]ati ſolatium. Et hoc qu[illegible] O Ignati mira-

cula

cula miraculis aggeras. Vno eodemq; tempore, & ardore, tuæ potentiæ arbiter, glaciem frangis, & ſtabilis. ſtupeo: obruor hoc amne, licet magnitudini tuæ anguſto, quam ne ipſa quidem oceani capere poſſet immenſitas. Ignoſce ò noſter parens, præconijs omnibus maior, ſi quid vltra vires tento, cum de te loquor. Addes hoc eximiæ pietati tuæ. Si me tamen nimiæ confidentiæ poena opprimi contingat, ò vltio omni gratificatione optabilior! hæc mihi lacuna frigore facta marmorea, perpetuum erit mei erga te amoris, officij atque obſeruantiæ monumentum. At ſi me naufragum reſpuat, ſat mihi erit vt vitam, quam abs te hauſi, pater, tibi ipſi tum in tuis laudibus perſequendis, tum in tuorum erga omnes meritorum recolenda memoria reddiderim. At aude anime, qui alios ab interitu reuocat, te his in vndis interire minimè patietur. nata ſecurus. Si oratio mea leuis eſt; vnda fert leuia: mergi non poterit. ſi verò ſicca; hic amnis fons eloquentiæ eſt: ora proluam, ne prorſus areſcat. Quid quod coeleſtis hic medicus ſalubritatem quoque huic, in quo nullam inuenit, attulit fonti? Te igitur debilitatum reficiet roborabitq;. Huc huc tendite Pariſienſes: ad hoc balneum Franci, & exteræ nationes, eo promptius poſthabitis veſtris balneis, quo excellentior eſt corpore animus, concurrite. balneum, inquam, calori ſimul, ac frigori vno eodemq; tempore generando, ab Ignatio recenter effectum. Illud cupiditates tartareo ſpiritu inflammatas extinguet: illud pectora Boreali glacie munita ſuccendet: idem fiet flammarum peremptor, ac genitor. Talem eſſe memorant in inſula Dodonea fontem. eò immiſſa fax accenſa extinguitur: extincta rurſus accenditur. illa tutiſſimè poteſt cum fonte colludere. vitam amiſſam mortis iactu recuperat. moritur ſuo magno commodo; ne diù viua ſe ſe abſumat: & iterum viuit. Sic ntis beneficio ſibi vitam propagat, alterna morte. Non abſiile igitur hoc balneum: niſi quod in eo nulla mortis, ac vitæ viſitudo. Vos verò quicumque, inſania ſtimulante, huc illuc in voluptates impotenter fuitis, retorquete impetum. ad curſum conuertite. ſiſtite in eo gradum. deflectite os. huius tam ſalutaris hiſtoriæ memoria caſtimo- perſuadebit, & menti reſtituet ſanitatem. Hic detus ſuis leuior alis puer, viduata pharetra ſagittas laq; infamis, & è virulentis agitati pelagi ſpumis

licet eadem cupiditate creſcente, cogitur in poenas ipſas arma conuertere. Anteà in aſperandis operoſus fuit: nunc illi ſudandum in mitigandis. Dura conditio, ambiguo certamine, an in bonum aggreſſoris, an damnum. Minuendus labor, laboris augmentum denunciat. Mirum eſt tormenta ſui diſſolutione torquere; leuitatemq; dolori ſociatam, grauidari ad abortiuum maioris doloris egeſtum. Pondus in ſtatera, detractis oppoſito ponderi aliquot momentis, depreſſam recumbit in lancem. Eſt igitur Ignatio cum præterita ſui vexatione conflictus. Ille obſidet, vt partes aliquas amoliatur: illa obſiſtit, ne paulisper ſemota, maiorem inducat. Verendum eſt ne ille, & ſe, & ſuos quoque cruciatus excruciet. attamen in ſententia perſtat. Priùs ſe domuerat; nunc ſui domitoris fit domitor. Nullam hic ampliùs triumphi materiam video: niſi forte victor, qui ſe ſui victorem vicit, ſeipſum quoque trophæum ſtatuat ſibi. At multo copioſior deinceps triumphorum ſeges effloreſcet. adeò vt ſuborta aemulatione, illi ſe ſint ad pugnam prouocaturi. Dimicabunt. Vnus verò cæteros omnes vincat oportet. Quamobrem triumphus non ſolùm de tot, ac tantis triumphis, verumetiam ſeipſo magnitudine ſua oppreſſo ſuperior, de ſe quoquè tandem aliquando triumphabit. Euge igitur, accurrite iam ad hoc nouum ſpectaculum, Pariſienſes. Ignatius cùm aliquid de corporis afflictatione, ſed nihil nec de ſui, nec de aliorum animi cura remitteret, coeleſtis regni publicanus, ac procurator, à ſtudijs bonarum artium tributa pietati exigit; ſcholas Deo vectigales facit. Dies nimirum diuino cultui dicatos, ſibi ſuiſq; quos ſalutaribus colloquijs, & commentationibus ad meliorem frugem perduxerat, religioſiſſimos eſſe vult. His clientibus Sacramentorum Eccleſiæ vſum, non minùs fructuoſum, ac reuerendum, quàm ſapidum, ac familiarem reddit. Habeant, hortatur, feſtis diebus antemeridiano quidem certè tempore, templa pro ſcholis, ſuggeſtus pro cathedris, concionatores pro magiſtris, preces horarias pro ceteris libris, culparum confeſſionem pro lauacro, Sacroſanctum corporis Chriſti ferculum pro nutrimento. Et eccè vniuerſam rempublicam literariam reclamantem, & in Ignatium tamquam gymnaſij leges infringentem, vehementiſſimè concitatam.

ORATIO XI.

Virgarum ſupplicium Ignatij virtuti paratum.

ERat Pariſienſis Academiæ conſuetudo, vt cum in alijs multarum vrbium Collegijs, vulgare illud dictum ſolemne haberetur, (diebus feſtis vacatur à ſcholis) literulam, à, reipſa expungeret. ita vt dies, ſtudio eſſent dies; neque feſti, aut nefaſti, aut profeſti agnoſcerent cognomina, ſed penſa requirerent. Sol cum Luna, lucernis, & facibus, lucis diſſidio, conſpirabant in idem opus. At profectò, poſthabito Chriſtiani hominis officio, noctes iniquæ mentis, tenebrarum concordia, operam atque hominem perdunt. Deo reddenda quæ Dei ſunt. Ille vnicus atque vltimus ſtudiorum, ac rerum omnium finis. Peruerſum eſt media fini præponere, & inſipiētis ſapiētiæ, quæ ad ſaluté æternā directa eſſe debent, detorquere aliò, mox ad ruinam futura procliuia. Neque id ſanè primi quondam illius Academiæ Præſides ac Rectores, non minùs probitate, quàm doctrina ſpectabiles ignorabant; ſed cùm viderent in tanto Collegiorum numero, quæ, ſcilicet, tertiam Lutetiæ Pariſiorum partem re & nomine ſecernunt ab alijs, nec non in tanta ſcholaſticorum, ex omnibus terrarum partibus confluentium multitudine, complures eſſe, qui eò iuuenili licentia prolaberentur, vt ſui ergà Deum, & erga ſe debiti parùm memores, feſtos dies ludis, choreis, compotationibus, iocis, ac turpi otio celebrarent; illi pro ſua prudentia, gymnaſiorum munia continua, quotidiè, ad ſolitum ſtudij fructum, quàm ad maius ſalutis animi detrimentum interrumpi, præſtabilius eſſe iudicarunt. Enimuerò minus malum videri debere, tempora peculiari rerum omnium conditoris, ac Sanctorum venerationi conſtituta, Mineruæ potiùs quàm Veneri; Apollini, quàm Baccho; Mercurio, quàm Vulcano; muſis, quàm nymphis; ſcholæ, quam cauponæ; libris, quàm aleæ; modeſtis concertationibus, quàm petulantibus rixis concedere. fateor, benè habet. Sed heu! ita ne cum Deo agitur? ergone temporum domino, ſi quando ille venit in mentem, momentaneæ morulæ fragmentum pro cenſu proijcitur? hoccine Deus lapideis

olim ſuo ipſemet digito ſcripſit in paginis? Arma furore dexteram, Moſes, veneranda regis ſupremi legifera ſaxa confringe. Non iam vitulus gratijs Numini agendis, ſed ipſimet vitulo, ſaltatione adorato, tantorum beneficiorum memoria, Deo fruſtrà è vertice montis Synai fulminante, mactatur. Feſtiuæ laſciuiæ mollities vicina rupe fit durior: in illa ſupremi legislatoris decreta incidi non poſſunt. Quantò igitur meliùs, quantò facilius fuiſſet, ſacris, Eccleſiæ præcepto, diebus, adoleſcentes vitali doctrinæ Chriſtianæ vbere lactare; pijs tùm concionibus, tùm voluminibus educare; Eccleſiaſticis denique corroborare Sacramentis? Tunc verò, tunc ſcholaſtici, ſtatis illis temporibus, ſua ſe ſpontè in templa fudiſſent. Ibi, non exigua diei parte conſumpta, edocti officia diuina cum humanis, & literas cum integritate morum coniungere; tempus reliquum domi, foriſq; partim honeſta relaxatione animi, partim prælectionum recognitione, aut ſcriptione tranſegiſſent. Tunc deniquè decurſis ſtudiorum ſpatijs, Collegia illos virtute, & ſcientia commendabiles, in patriam ad parentes, conſanguineos, amicos, tanquam pignora ſibi credita fideliter remiſiſſent. Sed vt ad conſilia quæ in Ignatium a præceptoribus, & gymnaſij rectoribus ſecreto conferuntur, aures admoueam, dies dicitur in tenebris pietati: religio tacitè vocatur ad tribunal: cauſa non cognita cõſcientiam obnubilat. Ignatio innocenti aula occultè decernitur, ne fortè ſibi fuga maturè conſulat. Aula inibi genus eſt ſupplicij, ab aula Collegij maxima, qua exercetur, ſic vocitatum; & illud quidẽ non minùs ignominioſum, quàm acerbum. Ad hoc armatur magiſtrorum, ac diſcipulorum exercitus: ſinguli, ad inuidiam, in rei nudati tergum definito ictuum numero formidabili alacritate moliuntur: niſi quod diſcipuli multò ſunt magiſtris hac in re doctiores. Tali ſpecie lictorum, honorifice vapulat reus, ad maiorem infamiam, & tanta lacertorum varietate ad cruciatum atrociorem. O quot in vnam incudem mallei! quot in ſubiectos humeros aratra! quot in vnum ſcopum ſagittæ! Summa criminationis in Ignatium, ex ijs quæ ſuprà narraui promptè colligi poteſt. Ille igitur tota re ſibi nihil ſuſpicanti ab amico delata, hæret primò, agitante erga ſuos cura, conſtantia non fluctuante. Mox, o felix, inquit, hora, mearum pars aliqua voluptatum! o munus, cupidini quidem meæ perexiguum, ſed meo merito maius. Ite, ite

pedes,

pedes. hæc mihi, vobiſq; noua,& à gymnaſio non vetita feſta celebritas. Cur non iam tàm amplo exultatis in aulæ conuentu? Inſtructum eſt ibi lautiſſimum conuiuium. Iam audire videor ſymphoniam, humerorum percuſſione conuitiorum concentum dirigente, gratiſſimam! reuulſæ ab humeris diſſectæq; fibræ deducentur in fides, ad ſuauem citharæ ſonum, feriente flagelli plectro mihi Apollineo iucundiore. Vobis autem, ò amici cantores, ac citharoedi aulici, ludentibus in meum tergum, mihiq; de honore tergi enixè gratulanti, ſi fortè labor ſitim (quamquã longè diuerſam) excitarit, vtinã in copioſam meus ſanguis vertatur ambroſiam! Oppidò largius potabo; ardentius æſtuo. Si verò fames ſitim comitabitur, ſint veſtra placita, & contumeliæ in me concoctæ pro nectare. Currite animoſi pedes; eripite cenſoribus veſtræ fugæ timorem, & quærendi laborem. Eſtote vos quoque manus ſeduli erga me lictores, non inijciendis, ſed eximendis, quæ me nunc diutiùs quàm vellem, detinent, vinculis: truncate quas trahunt moras. Collegij, non ſupplicij moderatores contra me conſilia, & decreta in tenebris condiderunt. Euulgabo primus. occupabo qui me inopinatò irretire geſtiunt. ſentient plus ineſſe in innocentia fiduciæ, quàm in iſta criminatione veritatis. ſtatuam egomet me aula in media conſpicuum; & tùm demùm tempeſtas tota ſubeatur. At heu! miſerum me, quis erit meorum ſenſus alumnorum? Ah! ne non tàm in me, quàm in eos procella iſta deſæuiat! Ah ne dedecus, ac tormenta, mihi honoribus, ac delicijs cariora, illos a me, tanquàm ab improbo, alienatos, in graue alicuius mali diſcrimen adducant. Ergòne hoc deerat puniendis vitæ meæ præteritæ culpis, vt ſine aliorum damno mihi vtilis eſſe non poſſem? Non tàm me, quàm vos, ò animæ meæ, iam prurientia flagella diſcerpent. Mite mihi fuiſſet mei ſolius ſupplicium. at nunc, ò crudele (ignoſce amor, ſic loqui me cogis) crudele, inquàm, quia geminum; meo ſcilicet, ac veſtro ſimul excrucior. meo tamen quia veſtro: cæteroquin meo mihi proficuo. ſed ſi vos amo, veſtræ rationes meis ſunt commodis anteponendæ. Vincat igitur veſtra cauſa, non mea. Dùm à noſtris præſidibus, ac magiſtris Senatuſconſultum fit contra me in abdito loco, ſatiùs eſt vt & ego in aliquas ſecedam latebras, donec Deus, ſedata tempeſtate, ſua luce detergat ab eorum oculis nubem. Sed hem! quid cogito? quid aio? non me

pudet

pudet ſic mecum loqui? nonne illc ego idem ſum qui fui?vbi vbi mea illa penè dicam impatiens fames,ac ſitis ſorbendi carnificinas, exhauriendi admixta ſanguine opprobria? Ergòne tam vberem cupiditatis explendæ materiam nunc mihi oblatam excidere patiar? Ergòne virgas, quas mundi effector regumq; dominator Deus vt vile mancipium vltrò excepit, ego abiectiſſimus hominum recuſabo? Auertat hanc a me Deus non poenam, ſed culpam. Verum,hei mihi! rurſus ab vno in aliud reuoluor; iterumq; iterumq;angor. nimirum vt valdè diſpar vtriuſque ratio,ſic oppoſitus mihi eſt exitus pertimeſcendus. Chriſti tormenta ignominiæ,atque acerbiſſima mors pretium fuere humano generi redimendo. hæc verò quæ perpeti paratus ſum, cui bono, præterquam mihi? Maximè vereor ne puſillo gregi, quem Chriſto coeleſtibus pabulis enutrio,graui exitio ſint futura. Hic anceps animi,ac nutans Ignatius, Dei cauſam Deo ipſi committere ſtatuit: Goueanum Collegij rectorem, vt diuinæ voluntatis interpretem, eligere: illum adire: quidquid reſponderit, id ſe inſtar oraculi habiturum. Dictum factum. in Collegium aduolat: Goueanum nondum in aulam progreſſum, non minùs pacato animo,quàm ſereno vultu ſic paucis affatur:Goueane, vir optime, huius qualiſcumque ſtudij,laboriſq; mei finis, ſalus hominum eſt, ad Dei ſolius gloriam. Ego non euerto veſtri ſtatuta gymnaſij, dum me diuinis legibus ſubijcio: neque detrecto inſtans mihi ſupplicium, cui me ſpontè offero,vt vides. quippè qui veſtrum in me decretum iam antè cognoui; & tamen in Collegium,vt ſoleo,veni. Cur enim conſcientia id refugeret, quò ſe non intulit culpa?Horrore verò poenæ non riget,qui ardet Chriſti cauſa necis amore. Hoc vnum igitur me male habet, ac valde ſolicitum tenet; ad quod,pro tua eximia in Deum pietate,remedium afferre potes, & pro perfecta in gubernando ſingulari prudentia, conſilium dare. Ego recentes,ac teneros in Chriſto foetus lacto,& educo. magnopere cauendum mihi eſt, ne fortè ex iſta tam infami animaduerſione, ſeductorem me, quod abſit, & corruptorem ſuſpicati,auerſentur. & quidem ſuo detrimento, veſtra culpa, me innoxio. Hæc ſumma eſt. Dei cauſam tueor: vos gymnaſij. An me, & Deum ipſum reos eſſe oporteat, iudicate. Hæc ille.Cuius vox,tanquam diuina, Goueani ſtupore defixi,& facti poenitentia percalſi,vocem ita oppreſſit,vt hic illum

reuerenti

Digitized by Google

reuerenti inceſſu, & manu beneuola in aulam deduxerit. Iam illic omnes,tanquam in acie telis ſcholaſticis inſtructa,diſpoſiti, ſtabant. Goueanus extemplò omnibus demirantibus, & rei nouitate attonitis,ad pedes Ignatij ſupplex accidit, & non minore lacrymarum,quàm verborum vi,ſe ſe accuſat; delictum fatetur; orat ſibi cæteriſq; ignoſci: magnificam de illius virtutibus orationem habet. de iudice innocentis,paulò antè non æquo, fit veriſſimus præco manifeſtæ veritatis. Sic tranſiere odia in amorem,faſtidia in amplexus,conuicia in laudes, flagra in palmam, virgae in corollas, denique in theatrum honoris, aula ſupplicij. O quanta ex vno dedecore oblato,non quæſita gloria!

ORATIO XII.

Inauditum Ignatij factum auocando ab obſcoenis amoribus homini.

TAndem igitur ſui,& aliorum victor Ignatius,liber redit ad inſtituta pietatis officia, captiua tamen remanente in eius corde flamma, quam vehemens atrocis illius, ac probroſæ lanienae deſiderium accenderat; quippe cui,nõ ſulcato virgis corpore,negata fuit euadendi via. Eſto Ignati bono animo; ſi non erupit, feliciter coercita eſt. Tenè nimium depaſcitur? ne dubita. ſi ſanguine non potuit, vndis fortaſsè temperabitur. En ſtagnum tibi ſe ſe nunc aperit; non æſtiua anhelante canicula ad voluptatem refrigerij, ſed rigidiſſima hyeme, & ſuimet frigoris impatiente, neceſſaria caloris fomenta inclamante. Nunc te à Collegio montis acuti, gelu acutius profundum in gurgitem vndarum vocat. En taurus libidine furens, iuuenis ille dico laſciuus, à te fruſtrà toties vehementer increpitus, ad amicam, ad ſuos amores non longè ab vrbe de nocte feſtinat; turpitudinem nocturnis vmbris conatus obtegere. aſpice. ignis tuus,qui mox in vndis ferueſcet, nunc lucet in tenebris. præi,præcurre, præuola, venator caſtiſſime: oppone inſidias, prædare alienæ pudicitiæ prædatorem. ſed quanam arte? quibus caſſibus? quo venabulo? quibus iaculis?

O cari-

Digitized by Google

O caritatem, & ſalutare ingenium ſeculis omnibus, literis, monumentis conſignandum! Ignatius ſtagnum glacie armatum, nudato perrumpit corpore: ſe ſe collo tenùs immergit; oculis atque ore ad meditatum officium ſibi relicto. tum amatorem obſcoenum, eo quo tranſeundum illi erat, ponte ſublimem, ſic tonante, ac terrifica voce compellat: Quò quò perdite? tune tuo ſcelere toties tàm grauem iniuriam Deo? Quamdiu tandèm inſanies? non vides, non ſentis, non horreſcis coeleſtis iræ in te imminens fulmen? Vide quid agas. Ego verò hic perſtabo: hic me tamdiù frigore vram, quoad aut te a tanto flagitio auertam, aut Deū a vindicta. Iuuenis hoc igneo vocis iaculo gelida ex vnda, tanquàm fulmine frigidis è nubibus erumpente percitus, ac præ ſtupore, impos, imò vero compos nunc primùm ſui, gradum cum voluntate reuocat. Mirum eſt quod ſe quoque in illam paludem repente non immiſerit. Erubuit. verecundus eſſe incipiebat. timuit ne lutulentus pollueret aquas, Ignatij complexu, electro puriores. O beatum nouum caſtimoniæ amatorem, ſi fortè illi tunc in eo Ignatij cum vndis coniugio paranymphum eſſe contigiſſet! eius pectoris gelu in flammis Ignatij honeſtiſſimis ſolutum eſſet, nimiumq; diù graſſata turpis flamma prorſus extincta. imò verò illic non ſolùm calor cum frigore, ſed etiam ignis cum igne pugnaſſet: purus videlicet cum foedo; totumq; ille animum occupaſſet, nullo huius relicto veſtigio. O velut altera Probatica piſcina, ab Ignatio, nouo quodam angelo, Dei præpotētis virtute commota! quam non ab illo iuuene, in te demerſo, ægritudinem abſterſiſſes, quę extrà poſito, & eminùs ſtanti ſanitatem contuliſti? quas non illi delicias peperiſſes, qui plùs in te ineſſe ſenſit, qũàm in ſuo præterito coeno voluptatis? quas in te ſenſiſſet vmbras, qui hanc fortunatiſſimam noctem vidit sereniſsimo die clariorem? At tu ò nocturna ſidereorum ordinum ductrix, quàm libentiùs, morata curſum, & verſis deorſum quadrigis, in hoc cryſtallino coelo, Ignatio, alteri ſoli vicina fulſiſſes! Te fuit imago tua his nitentibus vndis, tanquàm ſpeculo, reddita, multò felicior. aliqua te, opinor, inuidia pupugit. te tunc Lunæ imaginem, quàm Lunam maluiſſes. Si cui fortè in poſterum ad clandeſtinum, cum vitioſa forma commercium, noctu iſtàc tranſeunti vſui fueris, hæc tui vultus effigies illum quidèm illicò raptum ſiſtet, alloque conuertet: te vero iter docebit, quo demētatos

coeco

coeco cupidine homines, lucidæ menti reſtitutos, ad mundiſſimum, & per ſe amabile veri boni conſortium dirigas. Sic tuæ imaginis imago fies. Te, mutato nomine, Dianam venatricem fabuloſa finxit antiquitas: diſce ab Ignatio, ſalutifero venatore, quas oporteat perſequi, & capere prædas. qui ſic edoctam hic eluſerint, te non effugient Hecatem apud inferos imperantem. Ne me tamen, ſuggilles, quòd enarrans vera, fabuloſas de te vmbras tuæ luci obiter aſpergam. agnoſce potiùs quanta ſit potentia veritatis, cui, quamquàm non indigenti, vel ipſæmet fabulæ adeò famulantur, vt illæ ad ſe aliquid trahant veri, dùm ſeruiunt vero. Quàm nobile præmium ſeruitutis! At tu aſtrorum princeps pulcherrime, qui veſpertinus, ac laſſus in immenſum cadis oceanum, ò ſi fieri potuiſſet, quàm cupidè, curru deflexo elapſus, in hoc Ignatij, quamquam anguſto, cubili recubuiſſes. Plures aliquandò in coelo ſoles apparuere. hic verò, in hac, inquàm, vnda coeli æmula, ò prodigium non antè viſum! geminos quoquè in tenebris fulgentes nox illa vidiſſet. Quid noctem dixi? quid in tenebris? pugnantia loquor, aut inauditum miraculum? Duo ſiquidem ſimul iuncti ſoles congeminant diem. Itaque nox, & tenebræ ſugatæ, in meam, vt video, ſe ſe orationem recipiunt. Magna profectò in Ignatio, è duobus nobiliore vtiquè ſole, fulgoris vehementia, quandoquidem hebetata intuentis ingenij acie, caliginem in ſermonem differentis offundit. Tu verò ſol alter, quamquàm luminum largitor, maius ab illo, quàm abs te, Luna, eo tunc in loco mendicaſſes. Sed hic non eſt opus te. vnus ſufficit. Eſto ſpectator è coelo, non comes in vndis. Ex hoc igitur ſuorum in lacunā concurſu, & conflictu radiorum ardebat Ignatius. Surſum ſe ſe incendium extulit. inuoluit imminentem ex alto iuuenem; ſic; vim ſenſit ardoris, ambiguus de reditu, an de mora. Haeſiſſet diu ad tale, ac tantum, ſpectaculum, niſi ſe impium, & crudelem aliena pietate, ac beneficio veritus eſſet. Horruit ſui ſceleris vindictam, ac poenam in incontaminato corpore innocentis exercitam. Intumuiſſent eius lacrymis ſubiecti gurgites. eſſet opinor eius ſuſpirijs in hoc breui æquore coorta tempeſtas. Sed credibile eſt paulò poſt in domeſtico portu, ac ſeceſſu, recluſas ab illo fuiſſe dolori, ac fletibus vias, quas tàm graui alterius diſpendio, hyeme, noctu, ſub dio, in glaciali ſepulchro vigilantis, ne ipſa quidem immanitas auſa vnquàm eſſet

Digitized by Google

aperire. Diuus Auguſtinus, vir ſanctitate admirabili, anteactæ vitæ ſuæ miſerandam cōditionem & fatetur, & deflet; quòd adoleſcens pumiceis ergà ſe, ſtagnantibus ergà Didonem oculis, infelici huius amori malediceret, vt crudeli domino, dùm nihilo mitiori ſeruiret ſuo. O iuuenis ſi quid tibi etiam è nugis poeticis, quibus te fortaſsè plerumque oblectaſti, recurrit in memoriam, erue aliquod è tuis præteritis ſordibus emolumentum. Veterum vatum figmenta ſunt? quid tùm? Patere fabuloſam nequitiam cum tua vera improbitate conferri. Cogita igitur longè aliter tecum actum eſſe, quam cum Helleſpontiaco quondàm amatore, noctu Boſphorum ex Abydo in Seſtum traijciente. Illic irato æquore funeſta impudici amoris ardens ſiti, hauſtis abundè aquis, vitam miſer euomuit; ſolo teſte, ac hærede relicto ſuæ ergà neſcio quam fidei, nunquàm, vt credebat, perituræ, infido, ac bonorum helluone pelago. O digna meliori amore conſtantia! At verò, ne tacto quidem hoc breui freto Ignatij, ſed ex edito pontis margine, ſolùm proſpecto, fecere tua vitia, non vita naufragium. Itaquè te felix exitus illi diſſimilem reddidit, cui miſeranda libido fecerat antè perſimilem. Quo fit vt te paluſtre illud gelu ſit multo pertinacius. tu ſiquidem ad aſpectum Ignatij molleſcis, illud dureſcit ad contactum. tua glacies igneſcit ad auram procùl ſpirantis Ignatij. hoc verò gelu in igne gelaſcit. Vir, non minore patientia, quàm caritate, acres tàm fæui frigoris vltrò in ſe admittit aculeos; frigus verò ignea illius repellit ſpicula. O ſtagnum adamantino algore obfirmatum! non ſentis Ignatium ſe ſe in te macerantem? Si te ignis in vndas non reſoluit, commiſeratio ſoluat in lacrymas. Ignatius alienam duritiem hic deplorat; tu non defles tuam? Si poteſt ignis plorare, cur vnda flere nequeat? ſi ſoluta nequit, nunc concreta fleat. ſtagna gelu vincta mediocri calore laxantur: tu adeò ingenti non diffluis? O poſſis tepente ariete poſthac aereum fieri, quod nunc (licet hyeme) Leone in te flagrante non liqueſcis. Mirum eſt primo eius halitu te non continuò eſſe conſumptum. Sed profectò non tuæ id culpæ, ſed fortiſſimi viri voluntati tribuendum puto, qui illius amaſij pectus gelu vallatum penetrauit, vt diuino aperiret amori locum: tuas vero ſuſtinet, & confirmat vires, vt a ſeipſo excludat algoris mitigati ſolatium. Et hoc quoque alterum virtutis prodigium eſt. O Ignati miracula

tula miraculis aggeras. Vno eodemq; tempore, & ardore, tuæ potentiæ arbiter, glaciem frangis, & ſtabilis. ſtupeo: obruor hoc amne, licet magnitudini tuæ anguſto, quam ne ipſa quidem oceani capere poſſet immenſitas. Ignoſce ò noſter parens, præconijs omnibus maior, ſi quid vltra vires tento, cum de te loquor. Addes hoc eximiæ pietati tuæ. Si me tamen nimiæ confidentiæ poena opprimi contingat, ò vltio omni gratificatione optabilior! hæc mihi lacuna frigore facta marmorea, perpetuum erit mei erga te amoris, officij atque obſeruantiæ monumentum. At ſi me naufragum reſpuat, ſat mihi erit vt vitam, quam abs te hauſi, pater, tibi ipſi tum in tuis laudibus perſequendis, tum in tuorum erga omnes meritorum recolenda memoria reddiderim. At aude anime, qui alios ab interitu reuocat, te his in vndis interire minimè patietur. nata ſecurus. Si oratio mea leuis eſt; vnda fert leuia: mergi non poterit. ſi verò ſicca; hic amnis fons eloquentiæ eſt: ora proluam, ne prorſus areſcat. Quid quod coeleſtis hic medicus ſalubritatem quoque huic, in quo nullam inuenit, attulit fonti? Te igitur debilitatum reficiet roborabitq;. Huc huc tendite Pariſienſes: ad hoc balneum Franci, & exteræ nationes, eo promptius poſthabitis veſtris balneis, quo excellentior eſt corpore animus, concurrite. balneum, inquam, calori ſimul, ac frigori vno eodemq; tempore generando, ab Ignatio recenter effectum. Illud cupiditates tartareo ſpiritu inflammatas extinguet: illud pectora Boreali glacie munita ſuccendet. idem fiet flammarum peremptor, ac genitor. Talem eſſe memorant in inſula Dodonea fontem. eò immiſſa fax accenſa extinguitur: extincta rurſus accenditur. illa tutiſſimè poteſt cum fonte colludere. vitam amiſſam mortis iactu recuperat. moritur ſuo magno commodo; ne diù viua ſe ſe abſumat: & iterum viuit. Sic fontis beneficio ſibi vitam propagat, alterna morte. Non abſimile igitur hoc balneum: niſi quod in eo nulla mortis, ac vitæ viciſſitudo. Vos verò quicumque, inſania ſtimulante, huc illuc in obſcoenas voluptates impotenter fuitis, retorquete impetum. ad hunc pontem curſum conuertite, ſiſtite in eo gradum. deflectite deorſum oculos. huius tam ſalutaris hiſtoriæ memoria caſtimoniam corpori perſuadebit, & menti reſtituet ſanitatem. Hic deuictus, & eiectus ſuis leuior alis puer, viduata pharetra ſagittas confringet; illaq; infamis, & è virulentis agitati pelagi ſpumis

genita Cypria proteretur. Hic erit terminus veſtræ tamdiù à vobis adoratae ſeruitutis. Hic de veſtro iſto tyrannico amore victoriam reportabit Ignatius; eidemq; huius pontis arcus erit perpetuò triumphalis. Cedant Septimio, ac Veſpaſiano, cæteriſq; id genus imperatoribus, erecti quondam fornices. Plus habent illi ſuperbiæ: plus hic habet dignitatis. Strauiſſe hoſtium corpora marte, & fortuna, magnificum quidpiam eſt, & aliquot ſeculis vtiquè memoratu non indignum. at animos ſola virtute domuiſſe, incomparabilis gloriæ trophæum eſt, atquè immortalitati cōſecrandum. Hic pons ſua paruitate maior eſt, vilitate pretioſior, conditione nobilior. Cedite pontes quotquot Sequanam non minùs arte ſpectabili ornatis, quàm molis magnitudine premitis, hominis illic è veſtigio, Ignatij virtute ſubſiſtentis perſonante fama. neminem videlicet per vos vltrò citroquè commeantem, ita vllo vnquàm tempore fortunauiſtis. Huic verò ſtagno, Ignatij breui Regiæ, inuidere Sequana iure optimo potes. nullum vnquàm talem, ac tantum hoſpitem tuo gremio collegiſti. Tu, quæ Pariſiorum Lutetiam Galliarum compendium interfluis, regiſq; potentiſſimi Regiam alluis, dum à tuo exceſſu ab vrbe, per feliciſſimos vbertate campos, Mæandricis flexibus oberras, deriua de te tantiſper aliquem ſinum, qui hanc præterlapſus paludem, & vel vnica tantùm Ignatij ſcintilla percuſſus, ad te mox refluat. conuehes flammas cum tuis vndis in Oceanum Gallicum, quo te honoribus atque opibus tumida exoneras. Soluent tributa mari non minùs flammæ, quàm vndæ. Incaleſcet repentè Oceanus, & in extremas terrarum oras continuis ardoribus æſtuabit. Tua, Xaueri Franciſce, tua, inquam paulò poſt incendia hauriemus.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO XIII.

Lutetiæ Pariſiorum Societatis Ieſu primordia: inde Ignatij in patriam primò, tum Romam ad Summum Pontificem cum ſocijs profectio.

SEd quò me transfers Ignati? è ſtagno in Oceanum? & in coeli cardines rapis? Iam ſe ſe tecum in continentem mea reducat oportet oratio. Itaque Pariſiorum Lutetiam reuertamur. Colenda ibi tellus. ſat aquis modò perfuſus es, quibus illam irriges: nequè tepuit ardor ille tuus, quo foueas. Ergò vir, ſui ſemper memor, & immemor, rerumq; maximarum molitor, dùm in ſtudia Theologica diligenter incumbit, nouem è condiſcipulis, indole atque ingenio præſtantes, maturos ætate, doctrina florentes, Chriſto Domino deligit. Hos pijs documentis erudit, a rerum caducarum amore auellit, coeleſtibus inſtruit diſciplinis, diuinis commentationibus excolit, ieiunijs, precibus, & cæteris corporis afflictationibus aſſiduè ſecum exercet, frequentiſſimo deniquè Sacramentorum Eccleſiæ vſu mirificè perficit. Sic idem fit & diſcipulus, & magiſter. Diſcit, vt alios docere poſſit; & ſimul docet. inſtrumenta comparat, promouendæ alienæ ſaluti; & promouet. nullis laboribus parcit, vt ſe idoneum reddat ferendæ virtuti; & ſimul ſerit, ſerit, & natam videt. O noue agricola, agellum colis, an culto frueris, qui ſeminas, & ſimul metis? præcurris menſes. O noſter parens, eluſor temporum, & non minùs vbertatis, quàm ſementis foenerator, dic quæsò, effare ſodès, an ſemina iactas, an fructus? foecunditatem ad tribunal tuæ caritatis vocas. dies, te iudice, anni viciſſitudines ſibi arrogare iuſſus, anno diem dicit. partus conceptum ferè cogitur anteire, ne dicam excludere. O beata noualia, non antè ferro ſubacta, quàm ſegete triumphantia! vbi non diſtinguas vomerē a raſtro, aratrum a falce, ſationem a meſſe, ſulcum a ſolo, vbi ſeges ſegetem trudit, ſolicito flore maturitatem moroſam fallente. Cum igitur Dei gloriæ, ſalutiquè animorum nouem illos alumnos genuiſſet, ſibiq; vt filios, ac ſocios adiunxiſſet Ignatius, ab illis de

certo

certo vitæ genere ineundo, ac ſtatuendo, numinis afflatu conſultiſſimis, actum eſt. Re tandem omnium ſuffragijs, ſummoq; conſenſu decreta, ipſo die aſſumptæ in coelum Deiparæ Virgini ſollenniter ſacro (hæc maxima Societatis filij ſui patrona eſt, ac tutelaris) in montem Martyrum conſcendunt. Locus eſt Lutetiæ non longè adiacens, paulò editior, ac miti aſcenſu. In huius templo, inter Miſſæ ſacrificium, Deo optimo maximo ſinguli ſimul Voto perpetuæ paupertatis ſe ſe obſtringunt; rerumq; humanarum curis omnibus a ſe prorſus abiectis, ſoli Deo ſalutiq; hominum vacandi; Hieroſolymam quoquè proficiſcendi, vt aut caecitatem a barbarorum oculis prætereuntis fidei luce depellant; aut ſibi ipſis clariſſimam ęternę, ac ſtabilis gloriæ ſplendorem martyrio comparent. Quod ſi fortè illud iter aliquo aduerſo euentu, non ſuccedat, vouent, ſe reuoluto integro anno, Romæ ſummi Pontificis arbitrio commiſſuros in ijs miniſterijs, quæ ad ſpiritualia hominum quorumcumq; adiumenta pertineant: idquè nulla prorſus re ſtipendij, aut viatici ſpecie, nedum nomine, ab illo petita. Tùm ſacroſancto corporis Chriſti epulo refecti, ac recreati, peractiſque myſterijs, incredibili animi voluptate, Deo immortali, & beatiſſimę Virgini gratias maximas agunt; mixtoq; lacrymis gaudio ſe ſe mutuò complectuntur. Hæc ſunt Societatis IESV primordia. O quam ſublime diuinæ ſapientiæ, ac potentiæ opus, cuius prima iacta ſunt in monte fundamenta! O felicibus auſpicijs ſacrata in eo veterum martyrum monte pectora! O quot videre iam videor erumpentes ex eo ſanguineos fontes, ac flumina! his, his, inquam, non multò poſt tempore, purpuraſcet oceanus; non vt Erythręum mare, littorum, terræ natura rubeſcentium, repercuſſu. his natabunt vicinæ, & remotæ inſulæ: his hæreticorum atquè aliorum Eccleſiæ hoſtium campi ante ſteriles mox foecundati, pingueſcent ad vitæ germina, & foetus beatorum cætui aggregandos. O me fortunatiſſimum, ſi torrentes hi meo, licet indigno (fortiſſimi Chriſti milites) veſtro tamen fraterno ſanguine dudum creſcere potuiſſent: aut etiamnunc quidèm certè, ſi meus cùm eo, quem copiosè per varias orbis terræ prouincias ſunditis, pretioſiſſimo liquore conflueret! Sed Lutetiam redeundum: vbi cum iam Ignatius, exactis magna cum laude philoſophicis ſtudijs, ſolemni ritu laureâ, ceteriſq; doctrinæ inſignibus decoratus eſſet, theologicum

ſtudium feliciter quoque cum ſocijs ad metam vſquè decurrit. Iam verò quoniam hiſce Decemuiris virtute, & doctrina inſtructiſſimis, Chriſto duce, & auſpice properandum eò eſt, quò ſingulari Dei prouidentia vocantur; multa alia, eaq; præclara Lutetiæ ab illis patrata facinora conſultò prætereo, ne diutius eos quàm par eſt, mea remoretur oratio. Tibi autèm magnam, Lutetia, gratiam habent, maximam quamprimum relaturi. Ex his nimirùm tanquàm nouæ familiæ capitibus, primo parente, ac principe Ignatio, exiſtent innumerabiles viri, vitæ ſanctitate, & omni ſcientiæ, ac diſciplinarum genere præcellentiſſimi, qui perpetuò tibi ſummo ſtudio ſeruiant; qui tuos alumnos bonis artibus, & quod caput eſt, Chriſtianis moribus imbuant; qui denique tuorum ciuium familijs, parentibus, ac liberis, nullo alio quæſtu facto, niſi animorum ſalute, omnibus officijs famulentur. Iam fidem facit exitus rerum. Si hunc perſpicuum reddere conetur, luci nubem prætendet oratio. teſtes vos ipſi Pariſienſes. Oculatiſſimo, ac ſapientiſſimo teſti alicuius facti veritatem probare velle, cœci eſt, ac ſtolidi oratoris. Hos igitur Proceres noſtros vrget votiua in Palæſtinam profectio. ſtimulat amor ad præclara ſuſcepta facinora. eius vehementia corpori robur eripit, quod largitur animo. Ignatij enim vires, è tot ærumnis laboribuſq; Chriſti cauſa obitis, concidunt. Gemit corpus, quòd Ignatio inuicto ſtante, ſuccumbat: & vt ſe beatum exiſtimat tàm magnanimo domino, ita ſe miſerum cenſet tam puſillo ſeruitio. Grauior illi poena eſt quod Domino poenis inflictis nunc iterum ad res magis arduas vti volenti obſequi vix poſſit, cui hactenus paruit infligenti. ſtomachi tormenta recrudeſcunt: huius augetur languor, quòd langueat in viro forti. ægritudo ipſa ægra eſt; doletq; dolor, quod Ignatij alacritatem æmulari nequeat. Perdifficilis curatio geminato malo. Tuum eſt Ignati, quantum res exigit, excludere a te morbum, quem tibi ipſe aſſiduo corporis cruciatu intuliſti. Aliorum miſerte, medere tibi. Si tibi dulce eſt pati, patere eo te priuari, quod pateris. ſic plus patiere, & maiori cum laude. Non renuit Ignatius: curationem admittit; non de ſua, ſed de aliorum incolumitate ſolicitus. Sociorum anteſignanus, ac ductor, anteit; & non magis ſolerti medicorum præſcripto, quàm diuinæ voluntatis impulſu, in natiuum Cantabriæ ſolum, inſtaurandæ valetudini, tranſgreditur. Et ecce tibi repentè do-

meſticum

meſticum bellum. Vera virtus vbiquè virtus eſt, ac ſibi ſimilis; niſi quod creſcit exercita. Ignatius in dies fit ſeipſo maior, quocumquè ſe transferat, ſemper idem, & alter eſt. Ergo Loyolæ ſuos inter conſanguineos, in conſpectu familiæ, in oculis fratrum, publicum, & commune pauperum hoſpitium vltrò ſibi deligit, poſthabita paterna domo. Nullus vnquàm tàm hoſpes fuit in aliena ſede, quàm ille peregrinus in ſua. fremit indignatione nobilis atquè opulenta cognatio. hanc mendicitatem ſibi probro ducit, honoriſq; contemptum, dedecori. Ad domeſtica commoda inuitat; inſtat, obſecrat, ſi rebus omnibus nuncium remiſit, ſubeat quidem certè, vt egeni diuerſorium, quam recuſat vt auitam domum. Laudabilis ſanè, ſed irritus officij labor. ea tamen prudentia, & moderatione Ignatij, quæ grauitatem eius, & conſuetam modeſtiam deceret. Itaquè anteà eminùs, nunc cominus pugnat Ignatius. In iſtiuſmodi certaminis genere, hoſte præſente, (cùm in eum iuſta ocaſione fortè incurritur) inſignis quidem victoria eſt, ſed pugna periculoſa: aliàs verò abſente, hæc tutior. hic hoſtis amicus eſt. ò bellator, quiſquis es, coram fortaſsè parceres ictui. tunc enim ad foedus, quàm ad certamen procliuior dextera, hoſtis dexteram, non ferrum ſtringeret. amicè, ac dulciter perires. amoue te, illa verò multo illuſtrior, quòd in Dei gratiam, malis ſuauiſſimo tuorum conſuetudine, & aſpectu, ac bonis hæreditarijs, a te ipſo ſponte ablegatus, carere, nullo iubente, quàm præſens frui, nullo vetante. In vtroque tamen prælio ſuperior Ignatius æquè triumphat. ad alterum penè coactè, & ad breue tempus adductus; in altero liber, ac ſemper exultans. Recuperatis in patria vtcumque corporis, præſertim ſtomachi, viribus, ac perfunctus ijſdem, quibus alibi, ad Dei gloriam, ſolebat, in hominum ſalutari adiumento miniſterijs, rurſus in Italiam rectà contendit Ignatius, ſocios Venetijs præſtolaturus ad Syriacam expeditionem. Quæ verò, qualia, & quanta in tranſcenſu Alpium, atque Apennini, toroq; illo itinere, horridiſſima hyeme, ardente Italia bellis, egeno, macilento, ſqualido, irriſo ab omnibus, & exploſo contigerint, illa perferre, virium eius fuit, non mearum enarrare. Subſiſtenti Venetijs, diuerſo itinere, ſed eodem labore ſubſecuti ſe ſocij iungunt; meriti conſortes, vt ærumnę ſolatij, vt moeroris. Ignem deſiderij mutuæ præſentiæ, vix, eo tempore, diutiùs tolerare potuiſſent. Vota

non

non ſolum perficiendo vouentis animo, verum etiam nauandæ gentibus operæ nuncupata, magnam habent declarationem cùm apud Deum promeriti, tùm apud homines commendationis, ſi à ſupremo Eccleſiæ Catholicæ curatore, ac Principe Chriſti Vicario comprobata, & rata firmentur. Hoc conſilio ſe Romam cùm Ignatio conferunt patres. Paulo III. Pontifici optimo, maximo, ac ſapientiſſimo; poſt pedum oſcula, mentem venerabundi, ac ſupplices exponunt ſuam. Ille petitioni humaniſſimè fauet. Quidni tam præclaris, ac ſalutaribus poſtulatis ſummus in terris animorum paſtor annueret? Non honoris Romana in curia affectati, ſed in patria contempti patrocinium quærunt. non opum, quibus ſe vltrò ſpoliauere; ſed inopiæ, ac nuditatis tutelam efflagitant. Haud difficile eſt hominibus, quos quidem ſors, non ratio pauperes fecerit, hæreditatis vacuæ defenſores, ac tutores inuenire. his dormientibus cenſus augetur. è vacuo trãſitur ad nihilum. Secura eſt talis egeſtas, auſpice incuria. aquarum diffluentium procurator, ac promus, nullus aptior cribro. neque in iſtiuſmodi tutorem quem elegit, vlla eſt hæredi actio, cui nulli reditus annui debentur, ſed exitus. At verò quos coelum ad peculiarem Dei gloriam educat, exactiſſimò pretio ſponte quæſitæ, & ingenti ſtudio collectæ paupertatis, illi præfectos, & cuſtodes adhibeant oportet, ne quid in theſaurum inanem quoquomodo rimetur ingreſſum. Ne ipſe quidem pauper, inanitatis ſuæ auarus poſſeſſor, ſibi ſoli fidit. in ſumma rerum omnium inopia, hoc vno ſe inopem ſentit. Inter hæc placuit Pontifici maximo, quemadmodùm conſueuerat dum cibum caperet, viros probitate, & doctrina inſignes, ita hos quoquè de rebus philoſophicis, ac theologicis differentes audire. Demiratus eximiam illorum modeſtiam cum pari eruditione certantem, coràm omnibus collaudatos placido vultu, & magna benignitate dimiſit. Huiuſcemodi menſæ dignæ ſunt ſapientibus conuiuis; dignæ frugalibus ferculis. Hæc ſunt non minus animorum, quam corporum triclinia. Peruerſum eſt fulciri corpus, labente animo. Os vnum diductum eſcæ, geminas aures ſapientiæ pabulo non obſtruit. & quidem continua eſt animi fames; corporis per interualla; tametſi illius cibus nunquàm, huius ſemper abſumitur. Quanta verò Ignatium eiuſq; ſocios coeleſtium epularum copia refectos iugiter, & expletos fuiſſe dicemus, quorum Romæ per eos ipſos dies,

Digitized by Google

nulla domus, nullæ menſæ, nulli ad alimoniam apparatus, cum è publico peregrinorum, ac pauperum diuerſorio inuiolata decretæ vitæ ratione, victū per vrbē vicatim emendicarent? Vix credibile eſt quàm inſolita illi admiratione affecti ſint, a quibus viſi, & auditi fuerant corā illo præſtantiſſimo Pontifice de rebus arduis, non minùs perſpicua, quàm recondita ſcientia, colloquentes. Liberam illam neceſſitatem porrectæ tam vocalis, quàm mutæ ad ſtipem dexteræ, manantibus paulò antè ſupremi Hierarchæ imperio aureis eorum ſapientiæ fluminibus prætulere. Omnino hæc erat tātorum virorum philoſophiæ, ac Theologiæ præcipua pars; hæc Theſum capita; hæc laborum atquè omnis induſtriæ ſumma; his videlicet inſtitutis, hac arte, his adminiculis Deo viuere, ſibi mori, hominibus opitulari.

ORATIO XIV.

In Palæſtinam traiecturus cum ſocijs Ignatius Venetias repetit. Eorum illic, ac tota ditione acta: clauſoq; in Syriam aditu, Romana reuerſio, Societatiſq; Ieſu inſtitutio.

VEnetiæ repetendæ fuere patribus in Solymos opportuno tempore traiecturis. O fortunatam tali hoſpitum peregrinorumq; genere ciuitatem. Non hac illis tranſitus, ædium magnificentiam ſpectaturis, atquè alia incomparabilia ornamenta; ſed animi pulcherrimi, cæterarumq; virtutum, præſertim admirandæ pudicitiæ, ſpectaculum exhibituris. quandoquidem in te, coràm te, ad pedes legati ſummi Pontificis, vota perpetuæ caſtimoniæ, ac paupertatis emittunt. hic vnico ad vitalem interitum ictu bonorum mortalium rē, ſpem, ac voluntatem excidere. Itaque, vt dicebam, Venetijs noſtri primi duces, in ſacros militantis Eccleſiæ ordines adſcripti ſunt, pugnaturi pro gloria triumphantis: & quidem tanta in animi Deum ſitientis ardore coeleſtis voluptatis affluentia, vt cum ab illis capi non poſſet, in ipſum Epiſcopum Arbenſem,

Antiſti-

Digitized by Google

Antiſtitem optimum, (ſicut ipſe ſæpè teſtatus eſt) & tunc in illis cerimonijs Chriſti miniſtrum, copioſè redundaret. Diuino amori ſuæ ſunt voces ab vno in aliud cor: hoc exultante ad illius motum tripudiantis. Cithara percuſſæ laterali citharæ conſonat. Inde primitijs Sacerdotij Deo libandis, per varias illius prouinciæ partes alius aliò digreſſi, remotis procùl arbitris, tanquàm in ſeceſſu quodam ieiunijs, vigilijs, precibus, lacrymis, & diuerſa corporis afflictatione, ſe ſe quanta maxima fieri potuit diligentia compararunt. Deus vbiquè eſt, & ſibi, & nobis; nos quauis in ſolitudine, ne nobis quidem. Magnus ille quondam legislator, ſuæ gentis negotia cum quodam cœleſtis curiæ principe Dei legato tractaturus, in altiſſimi mõtis culmine, & quidem, ne quiſquam accedere auderet, vſquequaquè terrifico, ſe nube obſcura inuoluit. Vates vero, non minùs zona pellicea decorus, quam igneo curru reuerendus, ſine comite, ſolus ſibi, ac Deo vacans, in montem Deo ſacrum die noctuq; perrexit. quadraginta tantùm dierum ſpatio ſibi conceſſo, vterque temporis auaritiam incuſauit. Huic noſtrorum Patrum ſua paruitate maiori familiæ ſegregatæ, fuit idem dierum numerus, ſed grauior cauſa. Sacrificio Miſſæ nullum maius in terris opus. apparatum non minorem eſſe oporteret. ſi par eſſe nullus poteſt, humana vis dum ſuccumbit, habet (timidè lætanti dolore) pro ſummo patrocinio eam ipſam, quam immolat, diuinæ victimæ maieſtatem. Tandem igitur noui Sacerdotes primò faciunt, vno excepto Ignatio, qui cum non minus vitæ ſanctimonia, quàm auctoritate inter alios emineret, pro humili tamen ſui ipſius æſtimatione, longioris temporis ſubſidium ſibi neceſſarium eſſe iudicauit, ſuamq; inopiam, minutulæ, vt credebat, expenſæ diuturnitate, aliqua ſaltem ex parte, redimendam; hoc iudicium pars princeps apparatus fuit. faciũt, inquàm. O feliciter nata, ò bellè, verè, prudenter, atquè appoſitè huc concluſa dictio latina, quam non alteri iunctã, ſed abſolutè prolatam ſolum ſacrificium ſibi ſuo iure vſurpat; naturæ atque hominum operibus omnibus tanquàm hoc vocabulo minimè dignis. illud tamen mutuantur: ſed non niſi addito ſuo proprio nomine, ad honoris mutuo accepti fidem. O quãta vnico in verbo operis moles! non tanti fit mundi totius effectio; niſi fortè ſuo ſe conditori præferendum putat: quando quidem in hoc auguſtiſſimo ſacrificio, Sacerdos eam ipſam quam

offert, efficit hoſtiam. nunquàm vſquàm talis victima. O felix gemina illa materia è qua in hoc ſacroſancto myſterio fit corpus, & ſanguis Chriſti: atquè ideò deleta totius panis, ac vini ſubſtantia, ſub vtroque & altero, & alterutro earum ſpolio; totus eſt atquè integer, a quo factæ ſunt, Chriſtus. Hoc igitur, hoc, inquàm, facere eſt. Res alias fieri, niſi nominentur, ignotum eſt: at ſacrificij tacitum nomen, hoc vnico ſolitario verbo publicatur. Quapropter illud & probè ſuperbit, & penè dicam conſumitur; cum videatur vix dignari ſe cæteris rebus vtendum præbere, & nihil maius ab illo confici poſſit. His ritè perfectis; dum Patres nauigandi tempus expectant, quid ego eorum cum Venetijs, tum in tota illa ditione ergà omnes hominum ordines operam, ac ſtudia in Dei obſequium collata recenſeam? Adeò hæc illis fuere vſitata, & quotidiana miniſteria, vt ſi diſtribuantur in penſa præconiorum, oratorum omnium facundiam exerceant; ſi congerantur in vnius dicentis officium, vim totam ingenij, & eloquentiæ opprimant. Teſtes extitere non pauci, ijdemq; primarij Sereniſſimæ illius Reipublicæ viri, pijs commentationibus, ad ampliorem, & illuſtriorem beatorum, in coelo ſenatorum ſedem inſtructi: teſtes tot populi doctrinæ Chriſtianæ præceptionibus imbuti: tot hominum coetus ſacris concionibus amore rerum diuinarum accenſi: tot ciues atquè indigenæ varijs in vrbibus, ac pagis è lùbrico vitiorum coeno, in ſtatione virtutis conſtituti: teſtes denique pauperum hoſpitales domus, atquè inprimis publica ægrotorum valetudinaria, in quibus continuo eodemq; viliſſimo famulatu tot, ac talia virtutum documenta dedere, vt ſi ad ea ſingillatim ſpectanda, ſe conuertat oratio, profectò illis ipſis infirmis languidior, quauis ex parte deficiat. Hic hic Franciſce Xaueri rerum abs te geſtarum ſe ſe extulere admiranda primordia. Verùm nunc aliò mihi feſtinandum, vt me citiùs huc ad te reuocem. De te ſiquidem poſtea dicturus ſum, ſed cum nullo modo pro meritis, vtinam aliquo, pro voluntate. Vlciſcere fugientem hanc vocem, innexa in futuro ſermone mora. Hactenùs in hoc ſenilium, ſeu, ſi mauis, iuuenilium Orationum enimuerò ſanè (eugè anime, ne deficias) nondùm confecto curſu, te quaſi per tranſennam tantummodo reſpexi; ſemel aut iterum geminæ ſolùm mihi de te voces, meipſum violenter cohibenti excidere. Vtinam poſthac pauca illa verba quaſi iacta ſemina,

incaleſcente conceptu tibi debiti cultus,& amoris,in immenſam ſurgant laudum ſegetem,quas poſſim tuæ magnitudini pro virili parte perſoluere. Sic ſic, alme ſol Orientis,nouo mutui genere ergà me foenerator, deprompto in iſtius ingenij mei ſterilem agellum foecundiſſimæ lucis tuæ radio, non te meo labore clariorem,ſed me facies de paupere oratore locupletem. Et tamen ſoluendo non ero. At hoc mirum profectò; quia nihilominùs mihi per te fructus accreſcet, nihilq; tibi de communicata luce minuetur. Da mutuum mutuò; foenerare foenora; trucida me vſuris. aſſeruo ſyngraphas; noli conturbare rationes, vt me ſemper habeas,ſiue diues,ſiue pauper euaſero, tuæ virtuti, tuo merito, tuaeque gloriæ adeò debitorē,vt me omnes videāt celeberrimè decoxiſſe. Sed vt ad parentem,fratreſq; comites redeam, dum,inter hæc,ſtato anni tempore, ac ſecundo vento, ſe ſe mari commiſſuri eſſent, aliundè coorta horribili procella, ſpe repentè deiecti ſunt. Solymanus Turcarum rex, alieni tyrannus imperij, noctu ſub ſua orientali mutila Luna ſomni impatiens, ac peruigil, curas in Occidentem cum ingentibus copijs naualibus transfert; vt illic ſui ſideris orbem,ſi fieri poſſit,compleat. & primò quidem in Venetos irruptionem molitur. Noſtris, (vt cæteris peregrinis) mare ſuperum, Aegeum, ac Syriacum clauditur. Erat videlicet reliquum mare, totuſq; aperiundus Oceanus. O diuinæ ſapientiæ manifeſtum conſilium! ingratiſſimæ atque infamis,vnius nationis, Palæſtinæ fæcis, fruſtrà tentatum damni remedium; ceſſit in omnium gentium tunc a noſtris non quæſitum emolumentum. Agè igitur, memoriæ firmitas votorum Pariſienſium ſtabilitatem aſtruit. vnum ex vtraque fundamentum. Reuoluto itaque integro a Pariſienſi diſceſſu anni circulo, Patres, vt inter ſe, adſtricta Deo votiua fide, conuenerant, Romam ad ſummum Pontificem reuertuntur; non quidem omnes; (id enim tunc minimè neceſſarium videbatur) ſed tantum cum duobus è ſocijs princeps Ignatius, ad deſtinatam auſpicato ſuam ſuorumq; operam ſummo Pontifici offerendam, ac proponenda decreta, quibus ſtatuerant,in curandis hominum animis, ſe illius voluntati poteſtatiq; committere: miſſis interim per aliquot celebriores Italiæ vrbes ceteris patribus,quorū omniū tām copioſus paucorum menſium ſpatio fructus extitit,vt illæ gentes quid priùs, quid potius, rerumne nouitatem, an magnitudinem

mirarentur,

Digitized by Google

mirarentur, ambigerent. quo factum eſt, vt tàm inſignium operum multitudo ſtabili poſterorum memoriæ tradita, breuitati temporis fugientis illuderet. Iàm nouæ, & ſacræ militiæ generoſa phalanx à ſupremo Eccleſiæ Principe nondùm imperata penſa præripit. iam ſigno nondum dato excurrit in acie. iam efficit, quæ dux eius Ignatius facienda meditatur. periculum non eſt, ne deſit officio, quæ mandata exequitur, antequàm dentur. Exigui propterea temporis interuallo ſeptem ſocij a tribus ita ſunt auulſi, vt alij Romam, alij ciuitates varias præclara doctrinæ, & ſanctimoniæ contentione commouerint: omnes verò non ſolùm vniuerſam Italiam, verum etiam exteras, ac remotas prouincias incredibili famæ celeritate peruaſerint. Sub id tempus Romæ Ignatius in auguſtiſſimo beatæ Mariæ ad niues, ac celeberrimo templo, ad ipſum præſepe, vbi Chriſtus, iam in lucē editus, ſe primùm obtulit Deó patri, ſacrificandi facit initium. & quidem eo amoris æſtu, atquè intimorum ſenſuum dulcedine, vt neſciam grauiorinè me ſentiam onere premi, quòd dicere aliquid debeam, an maiore cura leuari, quòd nequeam. poſteriori beneficio vtar; ſic tamen, vt ſponſorem debiti erga te mei conſtituam quemlibet, Ignati, qui de te dixerit, oratorem. Videbaris illic cum paſtoribus, ac regibus Magis reuerentia, & amore contendere. Intimus quidèm animi receſſus nullum, præter Deum, iudicem habet. verumtamèn cum illi tunc ſua munera ſinguli obtulerint, ſi ad hoc ſacrificium, id quod rei quam offers magnitudo, ac dignitas de tuo exigit contuliſti, tua fuit in tam laudabili officiorum æmulatione victoria. Sed orationi meæ, vt videó, cum patribus vltrò citroquè commeādum. vtinàm pari cùm illorum alacritate facundiæ curſu. Reuocantur itaquè ab Ignatio. Romæ ſe ſiſtunt. parentis nutus illis imperium eſt. Cauſa reditus, conſultatio: & illa quidem inter eos omnium quæ fuiſſent, quæquæ futuræ eſſent, grauiſſima. Illa caput ad propoſitum ardui moliminis. illa negotiorum ſumma coniecturalis. In hoc decemuirali Senatuſconſulto, de texendo Societatis perenni vinculo, in hoc de ponendis nouæ religioſæ familiæ fundamentis rogandæ, ac ferendæ ſententiæ: an videlicet præteritis paupertatis, & caſtimoniæ votis, adnectendum eſſet tertium obedientiæ perpetuæ. (Hæc tria ſunt omnibus religioſis ordinibus vota communia.) Præterea nunquid quartum quoquè ſibi peculiare

(ſolem-

(ſolemne tamen, ſicut & alia) eſſet adijciendum, parendi ſummo Pontifici, ijs in rebus, quæ, vt ſuperioribus locis commemoraui, ad tuendam, ac propagandam fidem Catholicam, hominesq; ad ſalutis æternæ conſecutionem iuuandos pertinerent. Ad harum rerum deliberationem, aſſiduis precibus, & lacrymis dies noctesq; fatigatæ: hic ſeueriora indicta ieiunia, hic ſudati labores; &, quorum prima, & præcipua vis, oblata Deo præpotenti, ac luminum principi ſacrificia quamplurima. Habent illi quod fiduciam ingerat. cauſa Dei eſt. patronus eſt ſui: quo aſpirante meditatam, & conceptam Societatem quatuor illis vinctam ſollennibus votis tandèm aliquandò communis patrum conſenſus edidit mundo. Aemula concordiæ lætitia extitit fortunati partus augurium. Societatis Ieſu impoſitum illi eſt ab Ignatio nomen; ſummæ ſui deſpicientiæ ſingulari prorſus exemplo, quo Chriſtum totius operis effectorem apertè prædicaret; ſe autem, reticentia verecunda, nominis non negaret auctorem. Quidni tamen aſſerere malim, hoc nomen ab illo memorabili oſtento præcipuè inditum, quo Ignatius, cùm non longè ab Vrbe, in obuium quoddam ſacellum, ex itinere, numini orando ingreſſus, per ſpeciem a Deo patre, Chriſto filio crucem humeris geſtanti, ſe ſuosq; commendari vidiſſet, has audijt a Chriſto, benigno vultu conuerſo, voces ad ſpem noſtram foecundas? *Ego*, inquit, *Romæ vobis propitius ero*. Chriſte optime maxime, huius qualiſcumq; militiæ ſupreme imperator, a capite membra, tanquàm a fonte. Quamobrem ſi Romana in vrbe gentium omnium parente, nobis, vt hactenùs fuiſti, propitius ſemper futurus es, quocumq; locorum excurramus, quacumque in ſtatione commoremur, hac tua pollicitatione animoſi, ac tuti, teſtabimur plus ineſſe in noſtro pectore erga te fiduciæ, quàm in noſtris viribus infirmitatis: honorificæ tamen crucis abs te nobis communicato iugali pignore, ad tui promiſſi fidem. His ita conſtitutis, quàm ſtrenuos fatendum eſt noſtrorum labores Romæ fuiſſe, quàm ingentes operum fructus, cum paulò antè per varias Italiæ partes diffuſa vis, nunc collecta in vnius cultum vrbis incumberet? Atquè illi quidem pauci docuere, quantum differat virtus a numero. Tam inſolita verò, ac tam fauſta fuit Romanorum commurmuratio, vt amor, & admiratio, ad inuidiam, in hunc exiguum coetum oculos, animoſq; conuerterent.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO XV.

FRANCISCI XAVERII (rege Luſitaniæ aliquot è ſociis Ignatij petente) in Indiam deſtinati laudum initium. Eiuſdem in ſuo corpore cruciando portentoſum inuentum.

INter hæc,dum hic religioſus ordo, & acta in conſilio Patrum, Pontifici maximo ab Ignatio parente noſtro,ac duce proponerentur, iamq; Societatem vix natam, rerum a noſtris benè geſtarum, vbiquè nuncij, numine ſtimulante præcurrerent,eccè tibi Ioannem huius nominis tertium,Luſitaniæ regem,nulli maiorum ſuorum pietate ſecundum,protinùs incredibili voluptate perfuſum: fama laudum Societatis præcone,Maſcarenæ quoquè literis, ſapientiſſimi eius apud Pontificem Romæ oratoris, ornata. Iàm indè aliquot antè annis, quàm è Gadium clauſtro, tanquam ex arca magni quondam Deoq; cariſſimi Patriarchæ, Columbus explorator emiſſus, ſi fortè in illa interminata (vt credebatur) Oceani ad Occidentem vaſtitate, atquè infinita mole aquarum, non quidem diræ eluuionis,ſed naturæ partu,in continentem,vbi pedem ponere poſſet, incurreret,atquè indè, viridantis oliuæ ramuſculo fortunatiſſimi curſus nuncio, in Hiſpaniam reuolaret, Luſitani inſtructiſſima claſſe, & militum firmiſſimo robore, ad Meridiem atque Orientem, in immenſos maris tractus reflexi, barbaros reges, ac feras nationes,quæ Africæ, Aſiæ, & extremæ Indiæ oras, ac littora,inſulaſq; quamplurimas obtinent, incomparabili gloria domitas, in ſuam ditionem imperiumq; compulerant. Ergò cum Luſitaniæ Rex,alta mente præditus, apud ſe idemtidem reputaret,vnum eſse ſupremum regum omnium Regem,cuius homines ſubijcerentur imperio, principes verò terrarum orbis, ita eſse ab illo rerum mortalitati conceſsos, vt nihil eorum quæ ad publicum regimen, ac ciuilem gubernationem pertinent,in eius iniuriam, nihil in Eccleſiæ detrimentum verteret,quæcumquè ſub aſpectū cadunt,tandē aliquando interitura;

aſcente mundo coeptum conſtrui ad nouiſſimum diem mortuo ogum ; indè reſumptis exuuijs, ex hoc diuerſorio immortales nimos in deſtinatas coeleſtis patriæ ſedes euolaturos; in hunc . ſuo effectore omnia eſſe intenta ſcopum ; quæcumquè in natu- a ſunt , quæcumquè in rebus humanis , quæcumquè in quolibet lominatu, in hunc vltimum finem dirigi ; ſi ſoluto tâm aptè co- ıærente , ac debito rerum humanarum cum diuinis ordine , im- probi ea , quæ dixi, aliò detorqueant; ſi ad ſua commoda , & rationes, atquè amplificandam potentiam, ſuis conſilijs, ſtudijs, induſtria, laboribus, alium ordinem, ac ſeriem, prudentia delirante, contexant; illis , non dico breuem demortuis rogum, ſed coæuum ſemper victuris incendium diuina vltione conſtitutum. cum has, inquàm, curas, magno inprimis imperio dignas, rex optimus animo die noctuq; concoqueret , perlectis legati literis , iam ſibi voti ſuffragio potiri viſus, dat illi mandata , & magnopere imperat, vt ex illis decem ſocijs diligentiſſimè curet , ſex ſummi Pontificis auctoritate conſcribi, quos in Luſitaniam quanta maxima fieri poſſit celeritate tranſmittat . Inferenda in prouincias alias huius, ac ſimilis militiæ glorioſa vexilla . Illic ſtatuendum Crucis trophæum, cuius virtute (vt primus ille quondam Chriſtianus Romanorum imperator) maiori quam vix ſperare auderet , felicitate viciſſet . Turpiſſimum videri, tot gentes, tàm diuerſas, tàm longè poſitas, a ſe, iàm ſibi, nondùm Chriſto, ſubactas eſſe : Suo terreri ſceptro , non Dei : & quod primò, & maximè intolerandum eſt , vel ipſius Dei ſanguine , ac morte in libertatem aſſertas , teterrima Dæmonum ſeruitute torqueri . Princeps optime, qui ſic imperas , vt te parentem , quàm regem dici malle videaris, profectò non malè, vt video , prouides tuis. Sex è noſtris hominibus poſtulaſti, numerum diuidis , an rapis ? vide , pro tua ſapientia, ne ferias iſta partitione iuſtitiam . Quid ? nonne tu ex illa tua vltima Europæ prouincia, nouum, vt vocant , orbem proſpicis in Occidente ſurgentem ? an patiere , vt nullo altore , vix natus intereat ? In hoc autem noſtro conſeneſcunt operæ . ſuam quippè habent ætatem, non agri, ſed coloni. alij alijs ſufficiendi , ad culturæ perennitatem . vertenda cum anno tellus , ne ſilueſcat . Vide, ne pacata anxij animi caritate, geminos orbes in prælium pietatis exſuſcites ; horum militum conterrito manipulo ad inuiſum fulgorem exiſtimationis de ſe genitæ, qua tu aliorum

Digitized by Google

ORATIO XV.

FRANCISCI XAVERII (rege Luſitaniæ aliquot è ſociis Ignatij petente) in Indiam deſtinati laudum initium. Eiuſdem in ſuo corpore cruciando portentoſum inuentum.

INter hæc, dum hic religioſus ordo, & acta in conſilio Patrum, Pontifici maximo ab Ignatio parente noſtro, ac duce proponerentur, iamq; Societatem vix natam, rerum a noſtris benè geſtarum, vbiquè nuncij, numine ſtimulante præcurrerent, eccè tibi Ioannem huius nominis tertium, Luſitaniæ regem, nulli maiorum ſuorum pietate ſecundum, protinùs incredibili voluptate perfuſum: fama laudum Societatis præcone, Maſcarenæ quoquè literis, ſapientiſſimi eius apud Pontificem Romæ oratoris, ornata. Iàm indè aliquot antè annis, quàm è Gadium clauſtro, tanquam ex arca magni quondam Deoq; cariſſimi Patriarchæ, Columbus explorator emiſſus, ſi fortè in illa interminata (vt credebatur) Oceani ad Occidentem vaſtitate, atque infinita mole aquarum, non quidem diræ eluuionis, ſed naturæ partu, in continentem, vbi pedem ponere poſſet, incurreret, atquè indè, viridantis oliuæ ramuſculo fortunatiſſimi curſus nuncio, in Hiſpaniam reuolaret; Luſitani inſtructiſſima claſse, & militum firmiſſimo robore, ad Meridiem atque Orientem, in immenſos maris tractus reflexi, barbaros reges, ac feras nationes, quæ Africæ, Aſiæ, & extremæ Indiæ oras, ac littora, inſulaſq; quamplurimas obtinent, incomparabili gloria domitas, in ſuam ditionem imperiumq; compulerant. Ergò cum Luſitaniæ Rex, alta mente præditus, apud ſe identidem reputaret, vnum eſse ſupremum regum omnium Regem, cuius homines ſubijcerentur imperio, principes verò terrarum orbis, ita eſse ab illo rerum mortalitati conceſsos, vt nihil eorum quæ ad publicum regimen, ac ciuilem gubernationem pertinent, in eius iniuriam, nihil in Eccleſiæ detrimentum verteret, quæcumquè ſub aſpectu cadunt, tandé aliquando interitura;

naſcente

Digitized by Google

aſcente mundo coeptum conſtrui ad nouiſſimum diem mortuo ogum; indè reſumptis exuuijs, ex hoc diuerſorio immortales nimos in deſtinatas coeleſtis patriæ ſedes euolaturos; in hunc a ſuo effectore omnia eſse intenta ſcopum; quæcumquè in natura ſunt, quæcumquè in rebus humanis, quæcumquè in quolibet dominatu, in hunc vltimum finem dirigi; ſi ſoluto tàm aptè cohærente, ac debito rerum humanarum cum diuinis ordine, improbi ea, quæ dixi, aliò detorqueant; ſi ad ſua commoda, & rationes, atquè amplificandam potentiam, ſuis conſilijs, ſtudijs, induſtria, laboribus, alium ordinem, ac ſeriem, prudentia delirante, contexant; illis, non dico breuem demortuis rogum, ſed coæuum ſemper victuris incendium diuina vltione conſtitutum. cum has, inquàm, curas, magno inprimis imperio dignas, rex optimus animo die noctuq; concoqueret, perlectis legati literis, iam ſibi voti ſuffragio potiri viſus, dat illi mandata, & magnopere imperat, vt ex illis decem ſocijs diligentiſſimè curet, ſex ſummi Pontificis auctoritate conſcribi, quos in Luſitaniam quanta maxima fieri poſſit celeritate tranſmittat. Inferenda in prouincias alias huius, ac ſimilis militiæ glorioſa vexilla. Illic ſtatuendum Crucis trophæum, cuius virtute (vt primus ille quondam Chriſtianus Romanorum imperator) maiori quam vix ſperare auderet, felicitate viciſſet. Turpiſſimum videri, tot gentes, tàm diuerſas, tàm longè poſitas, a ſe, iàm ſibi, nondùm Chriſto, ſubactas eſſe: Suo terreri ſceptro, non Dei: & quod primò, & maximè intolerandum eſt, vel ipſius Dei ſanguine, ac morte in libertatem aſſertas, teterrima Dæmonum ſeruitute torqueri. Princeps optime, qui ſic imperas, vt te parentem, quàm regem dici malle videaris, profectò non malè, vt video, prouides tuis. Sex è noſtris hominibus poſtulaſti. numerum diuidis, an rapis? vide, pro tua ſapientia, ne ferias iſta partitione iuſtitiam. Quid? nonne tu ex illa tua vltima Europæ prouincia, nouum, vt vocant, orbem proſpicis in Occidente ſurgentem? an patiere, vt nullo altore, vix natus intereat? In hoc autem noſtro conſeneſcunt operæ. ſuam quippè habent ætatem, non agri, ſed coloni. alij alijs ſufficiendi, ad culturæ perennitatem. vertenda cum anno tellus, ne ſilueſcat. Vide, ne pacata anxij animi caritate, geminos orbes in prælium pietatis exſuſcites; horum militum conterrito manipulo ad inuiſum fulgorem exiſtimationis de ſe genitæ, qua tu aliorum

ORATIO XV.

FRANCISCI XAVERII (rege Luſitaniæ aliquot è ſocijs Ignatij petente) in Indiam deſtinati laudum initium. Eiuſdem in ſuo corpore cruciando portentoſum inuentum.

INter hæc, dum hic religioſus ordo, & acta in conſilio Patrum, Pontifici maximo ab Ignatio parente noſtro, ac duce proponerentur, iamq; Societatem vix natam, rerum a noſtris benè geſtarum, vbiquè nuncij, numine ſtimulante præcurrerent, eccè tibi Ioannem huius nominis tertium, Luſitaniæ regem, nulli maiorum ſuorum pietate ſecundum, protinùs incredibili voluptate perfuſum: fama laudum Societatis præcone, Maſcarenæ quoquè literis, ſapientiſſimi eius apud Pontificem Romæ oratoris, ornata. Iàm indè aliquot antè annis, quàm è Gadium clauſtro, tanquam ex arca magni quondam Deoq; cariſſimi Patriarchæ, Columbus explorator emiſſus, ſi fortè in illa interminata (vt credebatur) Oceani ad Occidentem vaſtitate, atque infinita mole aquarum, non quidem diræ eluuionis, ſed naturæ partu, in continentem, vbi pedem ponere poſſet, incurreret, atquè indè, viridantis oliuæ ramuſculo fortunatiſſimi curſus nuncio, in Hiſpaniam reuolaret; Luſitani inſtructiſſima claſse, & militum firmiſſimo robore, ad Meridiem atque Orientem, in immenſos maris tractus reflexi, barbaros reges, ac feras nationes, quæ Africæ, Aſiæ, & extremæ Indiæ oras, ac littora, inſulaſq; quamplurimas obtinent, incomparabili gloria domitas, in ſuam ditionem imperiumq; compulerant. Ergò cum Luſitaniæ Rex, alta mente præditus, apud ſe idemtidem reputaret, vnum eſse ſupremum regum omnium Regem, cuius homines ſubijcerentur imperio, principes verò terrarum orbis, ita eſse ab illo rerum mortalitati conceſsos, vt nihil eorum quæ ad publicum regimen, ac ciuilem gubernationem pertinent, in eius iniuriam, nihil in Eccleſiæ detrimentum verteret, quæcumquè ſub aſpectû cadunt, tandè aliquando interitura;

naſcente mundo coeptum conſtrui ad nouiſſimum diem mortuo rogum; indè reſumptis exuuijs, ex hoc diuerſorio immortales animos in deſtinatas coeleſtis patriæ ſedes euolaturos; in hunc a ſuo effectore omnia eſse intenta ſcopum; quæcumquè in natura ſunt, quæcumquè in rebus humanis, quæcumquè in quolibet dominatu, in hunc vltimum finem dirigi; ſi ſoluto tàm aptè cohærente, ac debito rerum humanarum cum diuinis ordine, improbi ea, quæ dixi, aliò detorqueant; ſi ad ſua commoda, & rationes; atquè amplificandam potentiam, ſuis conſilijs, ſtudijs, induſtria, laboribus, alium ordinem, ac ſeriem, prudentia delirante, contexant; illis, non dico breuem demortuis rogum, ſed coæuum ſemper victuris incendium diuina vltione conſtitutum. cum has, inquàm, curas, magno inprimis imperio dignas, rex optimus animo die noctuq; concoqueret, perlectis legati literis, iam ſibi voti ſuffragio potiri viſus, dat illi mandata, & magnopere imperat, vt ex illis decem focijs diligentiſſimè curet, ſex ſummi Pontificis auctoritate conſcribi, quos in Luſitaniam quanta maxima fieri poſſit celeritate tranſmittat. Inferenda in prouincias alias huius, ac ſimilis militiæ glorioſa vexilla. Illic ſtatuendum Crucis trophæum, cuius virtute (vt primus ille quondam Chriſtianus Romanorum imperator) maiori quam vix ſperare auderet, felicitate viciſſet. Turpiſſimum videri, tot gentes, tàm diuerſas, tàm longè poſitas, a ſe, iàm ſibi, nondùm Chriſto, ſubactas eſſe: Suo terreri ſceptro, non Dei: & quod primò, & maximè intolerandum eſt, vel ipſius Dei ſanguine, ac morte in libertatem aſſertas, teterrima Dæmonum ſeruitute torqueri. Princeps optime, qui ſic imperas, vt te parentem, quàm regem dici malle videaris, profectò non malè, vt video, prouides tuis. Sex è noſtris hominibus poſtulaſti. numerum diuidis, an rapis? vide, pro tua ſapientia, ne ferias iſta partitione iuſtitiam. Quid? nonne tu ex illa tua vltima Europæ prouincia, nouum, vt vocant, orbem proſpicis in Occidente ſurgentem? an patiere, vt nullo altore, vix natus intereat? In hoc autem noſtro conſeneſcunt operæ. ſuam quippè habent ætatem, non agri, ſed coloni. alij alijs ſufficiendi, ad culturæ perennitatem. vertenda cum anno tellus, ne ſilueſcat. Vide, ne pacata anxij animi caritate, geminos orbes in prælium pietatis exſuſcites; horum militum conterrito manipulo ad inuiſum fulgorem exiſtimationis de ſe genitæ, qua tu aliorum

K principum

principum deſideria, & decreta occupauiſti. Larga petitio tua, quæ totum ferè numerum euerrit, eorum quidem modeſtiæ patrocinatur, qui ſe ſingulos intueri vix auſi, animantur ſociorum virtute, non ſua. Verùm cum abs te, illorum omnium æſtimatore, inter non paucos Europæ viros, moribus, & eruditione florentes, non ad copiam, ſed ex copia delecti ſint, tàm eximiæ ſunt, tuomet iudicio, ſingulorum vires, vt pro ſe quiſque poſſit, & æquitati non efficere, & tuæ ſatisfacere voluntati. Ceteris igitur ſocijs ab Ignatio, Pontificis iuſſu, in varias regiones dimiſſis, duo regi, ſi non pro eius voto, dantur pro merito. Tu verò, legate fideliſſime, quid ſtatim expoſtulas? ſi amicæ querimoniæ tuæ nubecula, ſterili nunc quidem certè, pauliſper ab oculis remota, totum numerum ſpectes, hæc tibi videbitur ampla largitio. quem ſi fortè auiditas è memoria deleuit, ne conſule tabellas: aperi vtramquè manum. ſummam habes in digitis ſi contrahis omnes, actum eſt de tota; ſi partem iuſto maiorem, caue alienæ manus arietem. Singulas vnitates ad varia loca ſecretas, & ab inuicem auulſas eſſe oporteret. tibi numerus concedi tur. an etiam inter binarium, & reliquos denarij numeros creabis in ſumma Patrum concordia litem? Patres ſola ſuæ imbecillitatis confeſſione audaces, veſtrarum prouinciarum ſeruitio vix ſenos idoneos eſſe cenſent; omnium verò aliarum orbis terræ partium oneri ſubeundo, quaternos credent ſatis eſſe robuſtos? Acquieſcit orator. humaniſſimum regem, ac non minùs prudentia, quàm pietate clarum, de tota re monet. cui deniquè factum probanti, duo, vt dicebam, deſtinantur è ſocijs. Hi fuere Simon Rodericus, & Nicolaus Bobadilla; cui fortè per eos dies ægritudine non poenitenda correpto, diuino conſilio Franciſcus Xauerius ſubrogatur. Nunc ò nunc Franciſce, prodigiorum memorande patrator, Heros maxime, ac ſanctiſſime, iamdiù deſiderio tui contabeſcens, ac niſi debitum communi noſtro parenti officium obſtaret, rea diuturnæ atquè inuiſæ moræ, tandèm aliquandò mea ſe ſe ad te conuertit, te reſpicit & in laudes prona, tuam opem implorat oratio. Tu qui tot mortuos pactis te obſide, cum natura, alium rurſus eorum interitum repetitura, inducijs, ad vitam reuocauiſti; excita, ſi qua vnquàm fuit, iam ſepultam in me ſene dicendi facultatem: vel potiùs tu qui tot coniuges quibus in luctu ſterilitatis ſola eſſet dolorum vbertas pro

 ſolatio

Digitized by Google

ſolatio relicta, tuis apud Deum precibus, optata prole, & non tàm parentum, quam tuorum beneficiorum hærede fortunauiſti; educ ex iſto, hactenùs infoecundo ingenio meo, conceptum aliquem tua opera eloquentiæ foetum. informem illum quidem futurum non dubito; ſed hoc erit vitium immaturæ virtutis, non injtæ apud te gratiæ. O quot quondàm oculis capti, cepere maximum orbitatis fructum, ſeq; vel hoc ſolo nomine feliciter coecos fuiſſe ſenſerunt, quod tu, tu, inquam, ille eſſes, quem antè alia omnia viderent; quem, vt ſolem ſuum, tunc primò ſibi orientem intuerentur! Sua ſunt naturæ vitia in animos, ſicut in corpora. plerumque diuidit vtrinquè tenebras; nunquam tamen nouerca; quia non ſtudioſè; ſed palabundæ vbiquè fortunæ improbo lapſu; a qua, ſemper coeca, quis lumen ſperet? ſpargat igitur in me tua, Franciſce, liberalitas manus; plura debentur egenti ſubſidia, quàm opulento. iacta copioſa in meam mentem lumina; vt quo præſtantior eſt lux animi corporeis oculis, quos tu coecis aperuiſti; eo etiam tua beneficentia, & caritas fiat illuſtrior. O quot hominibus, ſurditate miniſtra, loquendi vſu mutilatis, impotens animi in tuorum meritorum præconia ruentis impetus linguæ vinculum diffregit, ad pretioſam naturæ, in eorũ ortu peccantis, mulctam, vt illi nulla poſteà in re eſſent, niſi tua in laude facundi; excepta ſolùm inuehendi poteſtate in inſidiantem vtero materno ſortem, quòd præcurrentibus aliorum hominum fauſtis acclamationibus, tamdiù muti, tàm ſerò loquerentur. Me verò, Franciſce, nec mutum origo fecit, nec voluntas. Abs te proindè non commune officium linguæ, quod mihi natura conceſſit, ſed id quod uirium mearum conſcientia negauit, peto, vt quantum propriè, & ornatè dicendi facultas diſtat a vulgari, & inculto ſermone, tantum mihi, non dico dignitatis oratoriæ, quam ſpei meæ non tribuo, ſed neceſſariæ ad trepidationem firmitatis, quam non deſpero, largiaris. Quare vt mutis liberum vſum, ſic mihi ſecurum animum ad loquendum dabis. Age igitur, vir potentiſſime, ſi quid ego, te adiutore, appoſitè dixero, erit non minimum tuorum in hoc a me, tua cauſa, ſuſcepto qualicumque labore prodigium. Sed in tanto rerum abs te geſtarum concurſu, quænam prima in me debitorem refugientem manus injjciet? quænam initium orationis meæ, priùs exitum, quàm ingreſſum meditantis rapiet? Tenè dicam Pariſijs numero qui-

dèm poſtremum, excellentia primum Ignatij partum? & eum quidem memorant laborioſum quoquè fuiſſe. Officioſa nimirum temporiſ tarditas, & viſcerum grata conuulſio neceſſariò incubuere laxandæ aluo patientiſſimi genitoris ad foetus magnitudinem, ac nouitatem naturæ prorſus ignotam. O inauditum portentum! ſol Orientis generatur, & quidem in Occidente. At quem alium habere poteras parentem? Quis neſciat exiſtere ſplendorem è flamma? Quàm immenſum igitur ignem oportuit eſſe Ignatium, vndè tu ſol enaſci poſſes? Iam verò quorſum iſtæ faſciæ, & funiculi, quibus tibi modò prodeunti, non tamen infanti, nequè in cunis vagienti, tàm violenter femora lacertoſq; conſtringis? Nondum te in coelum obſtetrix diuinæ potentiæ dextera extulit: nondum coeleſtis motus raptu cieris. (quamquàm illic vincula nulli ſunt vſui) te tui motorem eſſe oportet. Sui ſunt pedes ſoli adhuc mortali. tibi terra mariq; gradiendum; vt tua propiore præſentia maiorem lucem ardoremq; concipiant. tibi amor ſibi adgenitas inſeret vbiquè alas. tu itinerum longitudines, ſolicitis viatoribus, ac de ancipiti diſtantia ſciſcitantibus efficies incredibili tua celeritate mendaces. de te viarum menſores conquerentur. tu coeli adeò concitum, ac diuturnum curſum, vel ipſo Lada pernicior, momento præteruolabis. te ſol ille alter, è coelo ſpectator, mirabitur ſolem terreſtrem, dum tam properè, & nunquàm intermiſſa ſolicitudine regiones populoſq; luſtrabis, nullos ſecantem motus, nulla temporibus ſtatuentem diſcrimina; ita vt naturam præ pudore dubiam reddas, an præſtiterit familiæ ſuæ officia in penſa fluentia non diuidere, quam tua velocitate ſuperari. nec erit opus, vt ille quemadmodùm olim fortiſſimi Hebræorum iudicis contrà Gabaonitas pugnantis, ita nunc tuo aduerſus Dei hoſtes dimicantis imperio ſe ſe ad occaſum præcipitantem, morandæ luci, frænet, ac ſiſtat: cum videlicet quà & quò te feſtinus agas, tuam ipſemet, ac tibi propriam circumferas lucem. Et tibi vincula pedibus inijcis? neque id ſolùm, verum etiam tenaci funium morſu diſcerpis lacertorum carnes? Ah! quid peccauere pedes, quibus nullæ adhuc tritæ ſunt viæ? Ah! quid lacerti, quos nunquam lauaſti, niſi luctando cum vitijs? Tunè Ignatio parenti animo perſimilis, hoc etiam incommodum corporis, ac præteritæ illius militiæ cruciatum æmularis, vt Pompeiopoli fortiter ab eo

excepta

excepta aduerſo poplite vulnera, nunc tibi ipſi, contrà te factus acerrimus hoſtis, infligas? vt toties lacerata, & penè luxata, reptando per inacceſſos rupium aſcenſus, & acutos ſaxorum mucrones, illius brachia tibi tuorum vim, ac toros exprobrare arbitreris? Quorſum igitur, inquam, hæ faſciæ, funiculi, vittæ, ac vincula? Hoccine eſt feſtinare velle? hiſcine à te ſtimulis exoras impetum? hoccine magiſterio exerces hactenùs indociles ad itinera pedes? hoccine oleo cùm Chriſti hoſtibus luctaturus innungeris? tu preſſis curſum habenis incitas: tu fræno contracto, tarditatem increpas: tu ſiſtis, quem vrges gradum: tu expeditas ad pugnam manus, vinctorum mancipiorum voluminibus implicas, & coerces. Quas, quæſo te, leges præſcribis uiribus, nunquàm ad agonem exertis? Caue diuine curſor lampadophore, ne priùs quàm metam attingas, nondum extinctam lampadem alteri tradas. Caue ne alijs ſuperatis, dum tecum, tuæ fortitudini experiundæ luctaris, te ipſe deijcias. Conuerte aliò vires; te ipſo potentior es. Verùm rem ſanè tandem aliquandò tenemus: cauſam tui conſilij factiq; cognoſcimus. His tormentis in te, vel nolens, quæſtionem habes. hæc eruunt veritatem: hæc occultam ingenioſæ tuæ virtutis artem proferunt. memineras, dùm in hac rerum humanarum ſpecioſa inanitate, iamdudùm omnium in oculis eſſes, te concinnitatis, elegantiæ, & egregiæ corporis formæ aptiſſimè cohærentis indumenti mirificè ſtudioſum fuiſſe. hoc abiecto, ac perpetuò ablegato, ſupplicium a corpore potiſſimum repetis: & id quidèm antè tuum Lutetia exceſſum. Attamen & officioſum te cultui præbes. eius aliquantulum indulges deſiderio. Laxam quippè, & vndantem veſtem recuſabat, breue, & anguſtum concedis amiculum, ſed paulò quàm cuperet arctius. Luis, Franciſce, grauiores merito poenas. fuit, ſi quod fuiſſe cenſes, delictum affine virtuti. nitor nitorem traxit. Illibati, ac virginei tui corporis flos, nondum circumfuſo ſpinarum munimento, mundiſſimi habitus conſortium admiſit. errauit in natura præſidij, non in cura caſtitatis. Nunc verò inito cum votiua virginitate cõiugio nouum tibi thalamum ſternis, aculeatam atque horridam tunicam, natiuæ carnis mollitudinem ſubterentem multiplici nodo, quem te amor texere docuit. O dura connubij vincula! & vos diſciſſa laſciuitis in carne? Crudeles deliciæ in intimo illo atquè amabili corporis virginei ſinu, etiā ne in venas,

neruos,

neruos, muſculos, fibras veſtra fames anhelat? Tuæ patientiæ prodigus es, Franciſce, carnificinam exhibes tui, tormentis epulum præbes. tu primus auidè paſceris, poſtremus a ferculo; & victor es in hoc certamine voluptatis. Quàm difficile eſt mederi malo, non minùs patienti grato, quàm iucundo inferenti! ſiquidem non ſolùm cùm cæteris ſuauiſſimis patribus, verùm etiàm cum tuis hiſce amicis tortoribus diſſimulato cruciatu te longiſſimo in Italiam committis itineri. O nimis diuturna membrorum penè dicam confectio! Quorſum verò iſti tam altè impreſſi in carne ſulci? an ferendis, ac gignendis funiculis, quibus innumerabiles poſtea iuuenes tui allecti amore, & exemplo adducti, ſe ſe caſtimoniæ voto deuinciant? Portentoſus hic partus eſt, mortem non dubiam denunciat. afferet; niſi rerum omnium genitor, cuius ſecretiore afflatu conceptus eſt foetus, tulerit opem. Concidis in via, Franciſce, nequè vltrà progredi potes. malum inuitus prodis. tàm graue eſt, vt medici ne tentare quidem remedium audeant. Ars in te perit: tuum præcedit interitum, ne te ſuperſtitem, coràm ſe morientem, intolerando dolore aſpicere, & multò acerbiùs mori cogatur. funes iſti non ſunt profectò quales illi quondàm, quibus fortiſſimum Philiſtinorum domitorem, aliàs vel in ſomno terrificum, ſed in gremio perfidæ coniugis amore lenocinante molliter fuſum, ac ſopitum, hoſtiles cateruæ vinxere, quas cum illis retibus, velut aranearum operas difflauit ſpiritu. Stolidi proditores, Leonum profligatori, vt muſcæ inſidias tenditis? laqueo eum, vt vile iumentum, frænari poſſe creditis, qui decies centena commilitonum veſtrorum capita, eius indigna ferro, aſelli mandibula, ludentis dexteræ rotatu contriuit? eſſe poterant vſui funes huiuſmodi ligandis vulpium manipulis, ad celeriorem, vrgente flamma, ſegetum latè fluctuantium meſſem. aut quandoquidem ad reſtim vobis res redijt, his vti poteſtis. Ille in veſtri contemptum; aquam de aſini maxillari poculo victoriæ propinauit. honoratiùs, ac dulciùs de mellitis à ſe dilacerati leonis faucibus paulò antè ſe pauit, quia ſingulari certamine cum regio fortiſſimoq; hoſte pugnauerat. Ergò, Heros magnanime, vt aliquot antè annos Ignatio communi noſtro parenti, ac principi, deſperata cruris curatione, ſic non aliud tibi ſupereſt, niſi ad Deum perfugium. Ita contigit. tu noctis vnius interuallo, natura obſtupeſcente, priſtinam valetudinem

tuis

tuis precibus recepiſti. Abſtruſi nexus prodiere; inextricabilis illa implicatio, carnibus exeſis, & penè nudatis oſſibus, tandem per ſe lenteſcit; collabitur; ſe ſe fundit, & exſoluit, ad texenda, è tuis iſtis lacertorum, pedumq; vittis capiti tuo diademata, triumphis, ac tuæ gloriæ debita. Vinces, vir maxime, vinces in poſterum hoc felici augurio. Tu ampliſſimi velut alter dominus eris imperij; non humano, ſed diuino prorſus oraculo. Alexander ille, mea quidèm ſententia, ſuo cognomento, æquè ac tua virtute, ac fortitudine minor, cum illi aliquandò Gordij Phrygiæ vrbe, celeberrimum illum nodum ciues oſtenderent, quem, qui ſolueret, totius Aſiæ imperio potiturum, è neſcio cuius fabuloſi Iouis cortina memorabant; aſtu græco, ne mentem, ac vires, hoc ipſo nodo intricatiores famæ periculo redderet, diſtricto gladio, fraudulētæ inſcitiae Vicario, Labyrintheā nodi æternitatē ambitioſo vnius ictus compendio eluſit. O magnum imperatorem! Quin etiam hiſtoriæ veteres, quarum pleræque nihil habent veri præter mendacium, illum quoquè, ſi Deo placet, orbis terræ victorem fecere. tam terræ orbem deuicit, quam nodum Gordianum extricauit. Ad te Franciſce ſe ſe conuertit hoc omen; non vno, ſed tot nodis, diuina potentia tuæ voluntati annuente, diſtractis. Tibi iam Indi tendunt manus; tibi Iapones colla ſupponunt; cupidi his ipſis vinculis, quibus nunc eximeris, ad currum Chriſti triumphantis adſtringi. Surge liber: ſolare ſocios: ſolue lætitiæ tributum domino, tua cauſa, dolori reuiuiſcant, tua vita periclitante, demortui: coeptam inſiſte viam; accinge te rurſus ad iter, ſed zona laxiore. Illam iſtis eductis ex te funibus confice. Nondum in coelum euectus es, quod candida zona decorè ambitur. præcinge te de tuo cruore purpurea. Alteram altera pulchritudine laceſſet. Ingrueret forſitan non iniucunda poſſet inter te, ac coelum de formoſitate contentio, niſi præpotens pulchritudinum opifex, ac moderator vos his ipſis zonis tanquam vinculis coerceret. Specioſior tamen, Franciſce, tua, quæ non modò te, verum etiam Deum ipſum immenſum, tot laboribus, ac poenis in eius gratiam ſuſceptis, reuerenti magnanimitate deuinciet. Et quidèm eo maiore dignus honore es, quòd vltrò, ac ſponte tam ferociter in te ipſe deſæuis. Neceſſitas aliquid ſemper detrahit de laude virtutis. Crediderim tamen zonam illam coeleſtem ſe viam lacteam appellari malle. Tu verò

defluente

Digitized by Google

defluente modò tuis ex vlceribus liquore, Tyrio pretioſiore, humi ſanguineam ſternere velle videbaris. at comprime nunc ardorem, in te Pariſijs ab Ignatio excitatum; vt in vaſtum poſteà erumpat incendium. Obſtrue fontes cruori: claude riuis oſtia, ne copiam exhaurias. Galliæ atquè Italiæ amoena prata, vernanteſq; ſemitæ, non ſunt aluei decurſuro tui ſanguinis flumini. Nondùm abs te inclamati venere anni. Erit erit, ac non multò poſt erit illud tempus, cum inter immaniſſimarum gentium ſaltus, & inuios deſertarum inſularum anfractus, nudis & laceris pedibus tuis vepres inuictæ patientiæ notas inſcribent; cum itinera horrida, impenetrabiles ſiluæ, atque oceani littora, è tui ſanguinis veſtigijs noua, & ambitioſa ſibi nomina rapient. Hæc, hæc erit, oppidò, via, Franciſce, ſanguinea, niſi lactea quoquè nominanda videbitur, quòd illo videlicet lacte quo recenter Chriſto genitos nutries, omninò ſignanda ſit. Confirma quoquè lacertos. acue vires. contende neruos. corrobora corpus. Tibi Mauri, Parauæ, Malacenſes, Molucenſes, Iapones, aliæq; quamplurimæ ignotæ, ac barbaræ gentes, vectandæ humeris. Tibi nouo Atlanti, non coelum (hoc ſcilicet deerat veſtrarum, poetæ, fabularum leuitati, vt coelum graue faceretis) non coelum, inquàm, ſed grauiſſima terræ moles ſuſtinenda. Sortieris mox non quæſitum in ſomnio ad fidem vaticinium. Tibi dormienti videbere Indo tàm ponderoſo non ſemel onuſtus, vt niſus vehementia gemitum, tuis ſolis in Chriſtum amoribus familiarem, ad ſe ſubindè aduocet. Hæc erit ſolùm ponderis imago, Franciſce, hæc ſolùm vmbra nocturna. ſi te imago ponderis adeò premit, quanto magis verum onus impoſitum? ſi ſudas in vmbra, in ſole quid facies? ſi te deficiunt iacentem in ſtrato, integræ ſtabunt vires in lucta? ſi dormiens propemodùm exanimaris, quem ſpiritum vigil trahes? ſi contubernalem amicum non niſi ſuſpirijs excitare potes, Dei hoſtes poteris animoſa voce concutere? ſi vnius Indi ſarcinæ penè ſuccumbis, quam non ruinam tot gentes, ac nationes, in tuam congeſtæ atque iugatæ ceruicem minabuntur? Compara te tibi. noli metiri animi fortitudine corporis vires. anguſta eſt orbis terræ amplitudo tuæ mentis magnitudini. Quàm valentes humeri, quàm toroſi lacerti, quàm firma latera, quàm ſolidæ baſes tibi cudendæ! & quidèm ad maiores Herculeis terra mariq; labores. Indigni pudet exempli. Quidni potius

dicere

dicere quodammodò liceat,te illum eſſe, quem perſpicaciſſima quondam aquila in Pathmo inſula vidit diuaricatum,altero terram,ſimulq; altero pede mare prementem? Te portendit hoc viſum coeleſte. aſpice.niſi modeſtia verecundos,nunquàm tamen degeneres oculos coràm aquila flectit.Tibi iam ſe pandit Oceanus:tibi iam ſe terra ſubtendit. Et tu modò corporis partes tibimet nitebaris,vitæ pretio, coniurata cum poenis arte ſubruere? Viue igitur,viue,& vale.& qui futurus es omnibus omnia,curam omnium in te vno,quantum te pia neceſſitas docet, habeto. Procede;propera;vola Venetias ad Ignatium,te ſociosq;pari deſiderio præſtolantem. Te mea comitatur,tibi famulatur,tecum exultat oratio.

ORATIO XVI.

Franciſcus Xauerius in Valetudinario Veneto prodigioſa caritate homini foediſsima lue corrupto famulatur.

AT quò tandèm ea in vrbe te confers? quem captas locum? Tu ille vir es, cui non domus ad receſſum; non penus ad victum; non ſedes ad quietem. Te in obuium ac patens pauperum diuerſorium, imò verò in publicum valetudinarium abijcis; vbi de via languens, non tui, ſed ægrotorum curæ te mancipas. Sed quæ menſa exeſum fame,ſitiq;confectum reficit? Prò Deum immortalem! huc cõfluite Veneti ciues;modò ne quiſquam veſtrum,ſi fieri poteſt,vultum auertat. Ignobilis eſt oculi miraculum horrere virtutis, In theatris non ſpectantium lumina,ſed pugnantium corpora ſauciantur. Et verò etiam humana mens neſcit ipſamet quo naturæ ſecreto atrox atquè inſolens ſpectaculum dulceſcat miſeranti. An inuida eſt ſuæ laudis hæc pietas,quæ nequit ſine improbitate miſereri? Itaquè iam nouum palæſtræ genus aperitur. triclinium deligitur inſoliti belli ſedes. Virtus vel in patinis dimicat. etiam in coquinis ferue bellandi materia. Franciſcus certaminum propagator, modò tam duri victor itineris,

nunc accumbendo præliatur. Illius eſt huius præfectura conuiuij. ab illo bibendi leges. ille ſecum ipſe decertat, quòd nullum ſibi parem habeat hoſtem. ſe laceſſit: ſibi propinat: ſtomachi ſegnitiam obiurgat: eius in vili etiam tabernaculo probatum atque obſignatum inaudito fortitudinis exemplo monitum; nulla vſpiam eſſe loca incommoda aut importuna victorijs. etiam intra caſtra militari poſſe rei benè gerendæ cupiditatem inter debiles vegetam eſſe, valentem inter ægrotos. in ſtatione quamtumuis anguſta, æquè ac in ſpatioſo campo explicari aciem poſſe. virum fortem non trahi ſorte, ſed ſe ſe conſulto inferre in quamlibet prælij ſedem. hinc, hoſte ſuperato, inter collaudantium voces ſilere fortunam. vbique ſeri victorias, naſci triumphos, gloriam meti: dummodò egregius, ac ſui non immemor animus incumbat occaſioni, nunquàm vincendi finem facturus, niſi fecerit cupiditati certandi. Ergò in Veneto quodam noſocomio, inter alios morboſos ac rabidos, vnus erat venerea lue, ab orbe nouo, vt vocant, in noſtrum aduecta, (mala merx, eademq; ſuimet vectigal pendendum Veneri) vnus, inquàm, erat infectus adeò atquè corruptus, vt naturam puderet hominis, medicos tæderet artis, famulos pigeret officij. Vidiſſes exangue, ſupremaq; confectum macie corpus: oculos ſuas contruſos in cauernas: os cloacæ ſpiraculum: faciem acri atquè igneo ſerpente humore corroſam, ac populatam: expilatum fœdiſſimè caput. Vidiſſes diffluentem vndiquè ſaniem: dehiſcentes in fruſta marcidas carnes, eiecto vermium grege. Quid memorem teſſellatam puſtulis cutem? quid formicantem ſcabiem vngui operoſo heram importunam, cruſtaſq; immanes tabo vermiculatas? quid oſſa ſuis exuta cæmentis? quid torpentibus membris truncum immobilem? quid euolutas è iacentis ſordibus albicantes animalculorum legiones, nec non exhalatos odoris grauiſſimi nimbos, ad leuandum (ſcilicet) ignoto Sabæis thure faſtidium? Illum dixiſſes peccati piaculum: illum poenarum ſedem: illum, non hominem, ſed humanæ figuræ veſtigium. aberat corpus a corpore: dixiſſes deniquè non cadauer, ſed ſepulchrum. O labem imaginem turpiſſimæ voluptatis; niſi quod hæc multò fædior, quæ in Veneris mancipio ne ſuis quidem notis exprimi poteſt. O fructus in corpore, malè quidem pro culpa, ſed pro poena benè arato, maturos; ſimul tamen florentes, ad nouos, perenni

Digitized by Google

renni propagine, cruciatus; donec obſtinata imploratæ mortis mora tandem vinculum animæ fugam molientis abrumpat. Et verò vltio, quòd eo ſcelere minor ſit, indignata, etiamnum in illius auctorem efferatior fieret, niſi in tuæ, Xaueri, gloriæ miniſtram conuerſa, manus, iucundiore vſu, tibi texendæ magnificentiſſimæ coronæ occuparet. Cuius enim oculos tot miſeriarum cohortes non fugarent? Cuius ſtomachum tot baliſtæ non euerterent? Vel ſola cogitatio quaſſare Xauerium poſſet, niſi infirma eius corporis affectio, virtutis robore fulta, conſiſteret. Seculorum ſerie traducta nobilitas mollem quidem in plurimis fingere ſolet conſtitutionis corporeæ formam; ſed generoſus ille ſanguis ita imbuit animum, vt in eo vim pariat, cui non inuenit in corpore locum. O quantæ in iſta peſtilenti colluuie ad tanti viri labefactandam valetudinem iactationes! vel ſolo aſpectu nauſeam natura faceret ad ſui naufragium, niſi inuicta fortitudo motum omnem præcordiorum libera violentia cohiberet. Quis non iure optimo veritus eſſet, ne Franciſcus aut ab illa ſummo ſtudio totoq; conatu ſuſcepta miſerrimi vlceroſi cura deſiſteret, aut in eiuſdem, cui cibum ingereret, quem contrectaret, lecto verſaret, purgaretque cõplexu exanimis collaberetur? Non enim eò fuit ſtupore ſẽſus, præſertim qui nobiliſſimam Regum Nauarræ familiam ſanguine attingens, natura & vſu delicatus eſſet, quin tàm graui miniſterio commoueretur. Ad iſtam lutulentam haram, ac limoſè purulentam ſentinam tumeſcere cor, ac palpitare, ſtomachum minari diſcordias, viſcera tumultuari, reniti vires, vacillare oculos, inſiſtendi decretum periclitari. Quid hic ageret uir, aliàs ad præclara facinora non imparatus, in tanto vel virtutis, vel vitæ diſcrimine? Diuine amor ſententias non rogas in curia: animi conſulta non penſas: iacis aleam, non tentata, ſed impulſa potentia, præcurrit pugnam victoria: dextera fallitur, qua antè rapitur palma, quàm ferrum. decutitur lauro vixdum ſurgens è cono criſta; & ſtupet generoſum caput ſe antè propemodùm onerari corona, quàm galea. Poetæ neſcio quem olim fabuloſum amorem dixere coecum. ſi te quoquè coecum vis haberi, fortunata orbitas tua, cuius Regiam circumſtantia lumina, vel ſolo nutu oculorum quibus cares, ad arma, ad certamen, ad omnia diſcrimina ſe ſe clariſſima laude coecitatis effundunt. Ergò magnanimus heros non minùs increpita naturæ

obmurmurantis imbecillitate, quàm contempto Dæmonis aſtu; hæc ſecum; Huccine calamitoſiſſimum hominem impudici amoris impotentia,in iſtam potuit deplorandam carnificinam proijcere , me verò tot beneficijs à Deo affectum, diuinæ caritatis, & Chriſti, ſuo ſanguine vlcera noſtra eluentis exemplum in tam pio famulatu detinere non poſſit ? Hoſpitalis domus vernas pacta dominæ neceſſitatis imperio viliſſima merces,huius cui aſto, & aliorum ægrotorũ iugi ſeruitio hilares,ac ſedulos die noctuq; agitat;me cùm Dei inprimis honore, tùm cœleſti propoſito præmio, me , inquam , non pudeat idem opus adeò auerſari , vt vis horroris meas ſibi habeat manus , in hac mihi a Deo conceſſa pretioſa libertate captiuas ? Ergòne hic æger,viuæ mortis pabulum , enectis iam viribus, adhuc tantarum pœnarum molem ſuſtinere æquo animo poſſit; me ſanum , ſtantem, diuino excitum motu,fultum auxilio , illius vmbra terreat , deijciat præſentia , aſpectus interimat ? mène non meus,ſed alterius languor exanimet ? egone non meæ , ſed alienæ obiecto tantum infirmitatis onere concidam ? Vix ea, cum decorum , ac virgineum vultum in illum ſordidum,ac cœnoſum gurgitem mergit, plagis deturpat,& volutat in ſanie . Tantùmne ? vlcus omnium maximè abominandum oſculatur,ac lambit . parùm hoc duxit ad ſui victoriam. vim vis inſimulat. fame , ac ſiti petulca ſuccutiens, atque arietans mammam , vibratis ardentibus oculis, atque auido ore virus ex ea elicit, ſugit,ſorbillat. non haurit ſcilicet vno impetu quidquid poteſt ; ſed per interpoſitas,grata vice,moras, bibit in vberibus dulciter amarulentis , vt in longum tempus tormenti delicias prouehat . In penu mortifero vitali nutrimento , non furtiua , vt cuperet, voluptate ſaginatur.Ille ſiquidem Xaueriani amoris officina , ille abiectus atque afflictus , cæteroquin nullo, niſi ad ſuos dolores ſenſu,ad contactũ Xauerij non torpet; ſed ſui oblitus,oculos diuturno ſuæ cladis intuitu iam detritos , & extinctos , vbi ſibi primùm ſui curatoris dies illuxit , attollit , vt poteſt: mox ſtupor eam reddit , quam morbus eripit vocem . Ah ! quiſquis es , inquit,quid hic agis? quodnam hoc medicandi genus ? An iſtius pecudis ſalutem deſperas, cuius in te lanienam transtuliſti ? an potius redimendæ debitæ mihi morti,te tuo ſtatuis interitu vadem ? Ah ! vide ne hæc te obſtrictum fide, me incolumi, confeſtim inuadat . Sed enim vereor ne hoc ipſum ſit ,

quod

quod videris optare. huc fortaſsè tuus ſe ſe infert labor. Verum quid proderit? Illa illa vis caritatis tuæ, quæ, quod mihi reliquum eſt vitæ ſeruauerit, adempta tua, me protinus acerbiſſimo dolore trucidabit. Ruinam caſus trahet. Vita, quam tua pietas in me molitur, fiet vtriuſq; interitus rea. Cederem in hac cauſa meo iuri, tamdiù iam a me inuocato altero commodiore ſepulchro, niſi tanta tui iactura, mortem mihi adeò caram, redderet exoſa vita grauiorem. Eripe te hinc obſecro; aut decede paululùm de veſtigio. quid hircum mulges extrahendæ putredini, & quidem ore, non manu? Miſerum me! ergòne mihi dilatum eſt ad hoc tempus ſupplicium omnium grauiſſimum, vt conciſæ meæ vires te ab iſta cruenta illuuie amouere non poſſent? Execrarer has impias manus, quæ tuas non arcent, fæcem die noctúq; paſtinantes, niſi cogerentur eſſe in te, ſine culpa, crudeles. Apage te, inquam. Ah! quid loquor? etiamnè ſua ineſt ægritudo linguæ? hic hæreo. nec te velle, nec nolle poſſum. nunc primùm ſapienter nutat amentia mea. tua ſiquidem abſentia me perimet: præſentiam verò cruciati ſuſtinere non poſſum. Heu quid agam? Egòne (pudet dicere) præteritum libidinis gymnaſium, nunc poenarum laſciuia, me patiar in tuam perniciem eſſe foecundum? At nec tua caritas, multiplici partu nunquàm effoeta, poterit in tam pingui campo meritorum ſterileſcere. De diſpari vbertate contendimus. O inſatiabilem meorum criminum vindictam, cum mihi, ne per te quidem, ad extremum ſine meo infortunio contingat eſſe felicem. Sed quem te memorem vir magne? non enim te huc neceſſitas compulit, ſed voluntas. ſtipendij famulitij præco, ad tui miniſterij genus, ac modum neminem ciet. non armantur ad hæc officia ære nummario manus. Crediderim te aut coeleſtem ciuem demiſſum in terras, aut ſtirpis regiæ germen. Te feciſſet aut inopia virtutis, aut ignobilitas auita degenerem. Si te igitur diuitiarum impedimentis diuinus nudauit amor, quid huius ciuitatis profuſa in egenos opulentia manifeſtæ paupertati tuæ nihil quærenti clauſerit? Si notis tibi amoribus tua ſitis exæſtuat, pronæ ſunt Hadriæ, quas vides, lacunæ. præſtat eas ſorbere, quamtumuis ſalſas, quàm iſta teterrima ſanie, roſea labella tingere. Illæ tuo in pectore lacteſcent; vndè mox tumente papilla caritatis tuę, ſaluberrimum animi corporiſq; alimentum traham,

Hoc,

Hoc, hoc eſt eſſe lactentem. Quamquàm, ò hirudo mea, dum corruptum ſanguinem exugis, purum inſtillas. vtinam, vt certo meo bono, ſic nullo, tnone dicam, an aliorum periculo? Etenim, quod ad me attinet, quemadmodùm vita mea nemini eſt vſui, ita neque mors damno. At tibi, beneficentiſſime aduena, ſi qua in me, velut extincto, tuæ luce præſentiæ adhuc fauilla viuit, vt vt rudis rerumq; ignarus ſim, præſentio, non hoc, ſed totum terrarum orbem hominum animis corporibuſq; curandis vnum futurum hoſpitium. Vox me deficit. occiſa eſt tot cruciatibus lingua. vt plura dicam fruſtra laboro: & hæc pauca tuæ vis humanitatis extraxit. Tibi eſſent agendæ gratiæ. nullas poſſum. ſi qua ſuperſunt verba eruere nequeo. mihi ſum tumulus: ſunt in me conſepulta. nec opus eſt iſtius monumenti fronte inſcribantur. non decet inter alias meas adeò fœdas incidi notas. Hi muti parietes, hæ pictæ, quæ te viuam ſpectant, ſacræ imagines, hæc domus, hæc tota ciuitas tàm inſignem animi tui magnitudinem, conſtantiam, pietatem, caritatemq; prædicabunt. Ego verò bonis omnibus, te excepto, vacuus dulcibus tibi litarem amoris lacrymis, niſi & has quoque amara culparum mearum poenitentia conſumpſiſſet. litarem ſanguine, niſi tu illum, ò meorum tormentorum raptor, obliguriſſes. vtinam non putridum, ac virulentum. Solus mihi relictus eſt ſpiritus. tuis in manibus depono. Amoris atque obſeruantiæ teſtem habere maiorem nullum potes. Te per eam ſolicitudinem, qua ſalutem animi corporeæ curationis ſpecie aucuparis; (O pretioſum laboris ſtipendium!) per iſtam inuictam dexteram, qua te ipſum pro hac nuper deuotà Dæmoni victimà, tàm abiecto, tàm duro, ac penè lethali ſeruitio Deo immortali ſpontè immolas, oro atque obteſtor, ne hinc me viuo diſcedas, qui hnc propemodùm mortuo aduenisti. Vita mihi vtcumquè, te vt viderem, hucuſquè ſeruata eſt. Vidi. quid illam vltrà moraris? tuo conde in gremio. Nihil hactenus tibi præter vlcera, ſaniem, virus, peſtem, foetoremq;, quamquàm inuitus, obtuli. & hæc iam auidiſſimè vſurpaueras. O quàm melior eſt, & carior animus! Illum in

ſordibus

ſordibus meis, tanquàm gemmam ſcrutatus es. reperiſti tandem. accipe. Ad hæc, Franciſci, eo quo nubilas ædes illas ſerenabat vultu, miſerumne dicam, an felicem intuentis, profuſæ, & ſtagnantes lacrymæ, officium poſtremæ vocis, ac Vale, transferunt in eiuſdem ægroti balneum. Innatans amor ducit, abluendo, manus. miniſterium quod demortuo nequit, exhibet ſemiuiuo. O tu quondàm florentiſſime quidèm, ſed lepra, Syriacæ militiæ princeps, cui graue, & indignum viſum eſt ſepties in Iordane diuini vatis monitu mergi, vel vna tantum fuiſſes huius Xauerianæ vndæ aſperſione omni ex parte deterſus. Demum ægroto Franciſcus benè precatus, oſculorum turbam perpetuæ memoriæ obſidem in eius pectore atquè ore confundit, ac Numine aliò vocante, cedit hoſpitio. Hoc fuit illud quod ſuprà ſignificaui conuiuium. hoc inter epulas Franciſci cum Xauerio ſingulare certamen, quo, ſenſu reluctante, ita ſe fregit, vt optabile diſſidium fuerit, quod ferendo victoris imperio naturæ vires erigeret, quæ aliquamdiù detrectando corruiſſent. Surgite principes eloquentiæ, ac reges fori. In hoc penè incredibilis atquè inauditi Franciſci Xauerij celebrando facti miraculo, ingeniorum, ac virium facilis vſus. Sunt hæc vulnera facundiæ fontes, hæ plagæ ad dicendi copiam oſtia. hæ ſtillantes cruentæ guttae confluent euoluendo eloquentiæ torrenti. ex his vlceribus melle dulcior fluet oratio. erunt hæ verrucæ, ſtellulæ dictionum: hæ lentigines, verborum floſculi: hæ deniquè tenebrae, orationis lumina. Vos verò quem mihi Boeotium Heliconа poetæ cantatis, vbi ſaxum Pegaſea vulneratum vngula fontem aperuit? Huc migrate. hoc recenti fonte ora proluite, veſtra illa Caballina lympha ſalubriore. Xauerius monocerote virginum amatore, virgo ipſe, valentior, non cornu (nullum habet) ferire nouit; ſed amabilibus labris immiſſis, quidquid noxium eſt eduxit. Ad primum oris puriſſimi attactum incluſa peſtis expauit. euanuiſſet confeſtim, niſi ille cohibitam ebibiſſet. quamquàm id neceſſe non erat. nam vel ſolus eius halitus veneno venenum fuiſſet, & vndis vita. bibite & vos, poſt eum ſecuri. Verum ò facundi concionum imperatores, animorumq; arbitri, & ò muſarum alumni, collium nemorumq, deliciæ, non eſt veſtræ (date veniam) ſed Xauerianæ patientiæ diu in huius loci anguſtijs conſediſſe. Iam vos in patentes oceani campos, vos in

Africæ,

Digitized by Google

Africæ, Aſiæ, Indorumq; immenſos tractus, vos in ignotas Iaponiorum inſulas, atquè inacceſſa Sinarum regna ardor inſolitus rapit. Iam ſuggeſtus, compita, fora, templa, ſedes omnes, ac prouincias nondum vocati, non minùs iucunda, quàm inuidenda ambitione occupatis. Quàm certa tua, Franciſce, gloria, cuius egregijs atque admirandis facinoribus, nondum illic patratis, tot, tam varia, ac tam præclara ornamenta laudum, ac pręconia comparantur.

ORATIO XVII.

XAVERIVS in Luſitaniam proficiſcitur (magno regni bono) illic ſe ad iter Indicum paraturus. ac tandem Goam nauigantis iter deſcribitur.

EVge igitur, agedum, Franciſce, rebus Romae iam antè cõpoſitis, tibi curſus eſt per Luſitaniam tranſituro, in Orientem futurus. Si me nouum haruſpicem creas, ego extis illius inquinatae, ac morbi ſæuitia toto pectore hiantis victimæ, quam tu modò in valetudinario purgaſti, ac fouiſti, diligenter inſpectis, prædico, ac denuncio, tuorum laborum, curarumq; multitudini, ac magnitudini benè omnia, feliciter, fauſtè, fortunatèq; ceſſura. Sed enimuerò cum Paulus tertius Pontifex prudentiſſimus, intelligeret, Xauerio ad eam expeditionem Indicam ampliori opus eſſe auctoritate; illum diplomate pontificio, legatum Apoſtolicum in remotiſſimis illis, ac vaſtiſſimis regionibus conſtituit. Diploma dat Maſcarenæ in Luſitaniam reuertenti poſtea regi tradendum. Cautè dilatum tantæ poteſtatis onus, ne fortè quo alij complures erigi ſe ſentiunt, Franciſci repentè coràm ſummo Pontifice, nihil vnquàm tale ſuſpicata opprimeretur humilitas. Ne mihi dictionem hanc tua carpat cenſura Grammatice. Quàm ſublimis eſt apud Deum ima ſui demiſſio, cum vox, humilitas, latinis auctorib⁹ vilis, & abiecta, in Chriſtiana nomẽclatura

inter

inter maximarum virtutum nomina audiatur. quàm ſingularis hæc virtus, cui hactenùs nullum ſimplex nomen impoſitum. illa verborum ambitum diſijcit, quia ſe ſe aperit nuda. Mirum eſt cæteras virtutes vnicum, ac proprium nomen eſſe ſortitas; hanc vero nullum. an quia ſui contemptrix, ſe putat indignam nomine? an quia cum ſe in nihilum redigat, notio nominis in nihilo perit? & tamen ex hac inanitate primò ſurgit, ac ducitur menſura celſitatis. ſummum ab imo pendet. Sed omiſſis nominibus, ad res redeo, Xaueriũ Vrbe abeuntẽ proſequuturus. Verùm quæ toto illo in Luſitaniam itinere, in Maſcarenæ comitatu geſſerit; quæ virtutum, præſertim caritatis, & ſummæ ſui deſpicientiæ documenta dederit; quàm ſalutari, & iucunda conſuetudine omnes Chriſto inprimis, ſibiq; deuinxerit; & ſi ea eximia ſunt, & commemoratione digniſſima, tamen quia ad maiora feſtinat oratio, prætermittam. Nam vt primùm Luſitaniam attigit, fama quæ de illo antè percrebuerat, erubuit minor vero. In huiuſmodi mendacium prona eſt venia. eius culpa modeſta eſt. gloriam prænunciatæ virtutis auget; & meretur pretium raritate. Adit regem Xauerius. ſubmiſsè ſalutat. peramanter excipitur. præterita vtriuſq; cupido beatur præſenti voluptate. Nihil cunctati, de rebus Indicis inter ſe communicant, deq; accelerãda ad ſalutem illarum gentium ope. Inter hæc, rex oculatiſſimus ingenium uiri, vultum, verba, modeſtiam, alacritatem, grauitatem, ſtudioſe conſpicatus, memor epiſtolæ à Maſcarena legato ſuo, de laudibus illius ex itinere ad ſe conſcriptæ, fidei prætulit experimentum. Iam verò noua me cura inceſſit, vtrum nauim nunc conſcendã, cum Xauerio in Indiam vela facturus, an tantiſper ſubſiſtam, dum quæ ille in Luſitania, intra ſeſquiannum fermè, in omnibus omnium hominum ordinibus iuuandis præſtitit, memoria repeto. Illud re nihil moratus, hoc alterum verbo exequar. Adeo namquè ſumma ſui deſpicientia, libera paupertate, repudiatis quæ ad vitæ ſubſidium offerebantur cõmodis, continua corporis afflictatione, incredibili amore in Deum, indefeſſa in moribus ad pietatem formandis cura Olyſſiponenſium animos permouit, ſibiq; demeruit, vt rex de illo, quem Indiæ deſtinauerat, retinendo cogitaret. Conſilium facto preſſit. Res per litteras Romæ Ignatio, ab hoc ſummo Pontifici, a Pontifice regis prudentiæ tota committitur. Regi adiecit Ignatius, ſi ſententiam iubeat dice-

re, videri ſibi Franciſcum Indis dandum, Rodericum Luſitanis. Hoc reſponſum regi fuit tanquam diuinum de filijs parentis oraculum. Incomparabilis ſanè poteſtas virtutis! Luſitani prouinciam ſuam Chriſtiana cultam, ac florentem religione, tanquam rudem, ac ſterilem Indiam haberi mallebant, quàm Franciſci Xauerij diuina quadam neceſſitudine omnibus coniunctiſſimi, communiſq; ſalutis ſtudioſiſſimi, ſibi vita cariore præſentia viduari. Sedem humanitatis non puduit inuidere barbariæ, vnius viri magiſterio fruituræ. Rapuiſſent alijs, ſi fieri potuiſſet, quem cedere iubentur; & raptum amore imperante vinxiſſent, ne aliò poſſet euadere. Quis iam miretur, quod virtus captiuos reddat homines, cum illi ne tàm ſalutaribus exuantur vinculis ipſam quoquè captiuam tenere conentur? Pœnitentia pollicitationi plerumquè molitur inſidias, ſi excellentia muneris ſeriùs perſpecta promittenti, eius incipiat animum percutere. Modò ſe ſe obijcit proprij iactura commodi; modò data fides menti recurſat. promiſſi reus in euripo eſt. reciprocat ab alieno in ſuum bonum. Sic regi, totiq; regno in cauſa præſtantiſſimi huius herois videtur contigiſſe. At nolite, ò viri, deſpondere animos; breui quippè futurum eſt, vt non ſolùm Luſitania, verum etiam toto veſtro imperio illius ſocijs atque imitatoribus vſquequaquè completo, vos ipſos, mixto admiratione gaudio, pœnituiſſe pœniteat. Sed quid hic tempus traduco? cur tamdiù moror? veſtra mihi, opinor, Luſitani vncum impegit humanitas. Soluite me. Claſſis mouet in Indiam. Iam Xauerio placidi maris feſtiuæ geſtiunt vndæ. iam plenis venti luxuriant velis. iam ſidera ſtatos ad officia ſibi indicunt dies. illius hæc omnia nutum intuentur. Quos tu mihi Neptunos, quos Aeolos, delira fingis antiquitas? ille ille, præpotentis Dei ſingulari munere, maris rector, ac ventorum arbiter. eius inter ſidera conſulatus. Nequè verò hæc in fluctibus glorioſa iactatio. Vos vos appello barbaræ gentes, quæ non multò poſt, etiam priuſquàm vobis in denſiſſima caligine lux veræ religionis illuceſceret, non magis vulgata a Chriſtianis, quàm a vobis comperta prodigiorum vi, Xauerium Deum maris nuncupauiſtis. Agite igitur nautæ; incumbite remis. Nullæ vobis ſyrtes, nulli ſcopuli, nullæ procellæ pertimeſcendæ. Non Cæſaris fortunam; ſed certam totius orientis ſpem vehitis. O felix fortunatumq; nauigium, tàm leui onuſtum,

grauitate

Digitized by Google

grauitate theſauri. Iam verò Soſa regię ad Indos prætor, vir optime, lubeat te quoquè a me paulìſper compellari. Vir ſapiens vbiquè ſui vector eſt, & exactor; ditandæ menti naulum, portoria, vectigalia, & tributa ſibimet ipſe philoſophando perſoluit. Te talem eſſe non dubito. Quis igitur ſenſus tibi erat, cùm partim iam ex hoc portu, partim poſtea proſpiceres quà oceani patet immenſitas, quà tanta terrarum amplitudo? Veniebat in mentem, opinor, in quam anguſta humanæ commorationis parte ſe ſe olim potentia Romana iactarit; quam egena gloriæ portione triumpharit. Quis miretur ſudatam mortalitatem? torquetur in arcto. In ipſo verò curſu nauarchi, tuiq; aſſeclæ, dum ſtellas nautarum præſides captant, aſſueſcant coeleſtium magnitudinem orbium contemplari. Hæc inferior moles ſimulachrum nihili eſt. Rerum domini oculatas habeant manus. Quodcunq; tamen iſtius inanitatis ſpatium fit, innata vobis Luſitani, pietas, non patietur, vt veſtra ditio longiùs quàm Chriſti regum regis imperium proferatur. Sed quorſùm hæc ſuggero, quæ iam tenetis, monente coelo, docente Xauerio? Agite itaque animoſi remiges; altum tenete. In ipſo exceſſu, irriſis Gadibus, plauſum date. Vbi vbi tuæ illæ Hercules geminæ columnæ? poſita claua, reiecto Leonis ſpolio, excuſſo ab humeris coelo, onera te illis, & aliò ſi potes transfer. At non eſt id profectò, non eſt tuæ; ſed Luſitanorum virtutis, eas non niſi coeli regionibus poſituræ. Ex hoc tui poſtremi laboris obruto Gaditanis in vndis monumento, iamdudum ſurrexit prima (extra quidèm certè Europæ limites) & maxima inuictæ fortitudinis, & nominis Luſitani gloria, cùm princeps Henricus, Ioannis primi filius, vir immortalitate digniſſimus, Mathematicis eruditus inſigniter, longiſſimum hoc ab oceano Atlantico, ac difficillimum in Indiam iter, atquè omnibus retrò ſeculis ignotum, tandem deprehenſum animosè primus aperuit. Vt autem oratio mea venti ſuas ſortiti vices ſolicita ambitione prouehatur, quid memorem Xauerij viri fortiſſimi, & ad omnia facti, inter mille capita claſſis ampliſſimæ, continuos labores, vigilias, operamq; profuſam, quà conciliandis Deo animis; quà quotidiana in concionando contentione, quà diſcordijs componendis, ægriſq; curandis; quà deniquè inter hæc, quod primum eſt, nunquam intermiſſo Deum orandi, ſibiq; vacandi ſtudio? Videres ſummi Pontificis legatum

M 2 viliſſimis

viliſſimis ſe ſe ſeruitijs ſponte mancipantem; videres virum nobilitate ſpectabilem, ſapientia clarum, præcelſum mente, virtutibus omnibus atq; doctrinis abſolutum, dum ſe alijs inferiorem facit, ſeipſo, cui nullus par eſſet, ſuperiorem. Periculum hic eſt ne victoria triumphando gemat, eo quòd nihil ſibi ſupereſſe videatur quod vincat. Attamen tibi aliam atque aliam ſubindè materiam Franciſce diſquiris. copioſam grauidæ prouinciæ mox te tonante parient; vt cui iam parum eſt vincere, hoc tuæ potentiæ magnitudinem metiamur, quòd poſſis ſemper aliquid procreare quod vincas. Tui, tanti Herois, vecturæ breuem ſe ſentit oceanus. Ferendo non eſſet, niſi tuæ caritatis excitatus ardoribus, inciperet inaudito æſtus genere tumeſcere. Stupet, ac virtutem veneratur, ambiguo cultu, nùm ſe malit vndoſum eſſe, obſecuturus abeunti; an in ſyrtes abire, detento potiturus. O amoris portenta! O admirandæ argumenta ſanctitatis! Fleret elementum, niſi vndas crederet ſuas eſſe lacrymas: quibus tamen idemtidem immurmurat, quòd in ijs liquido cum naui fugiente veſtigio, & lituris ſcribentis remi ſequacibus, nullam prætereuntis retinere notam poſsit. Se ſilicem mallet. rupibus, ac ſcopulis inuidet, quos latè diuerberat. Verùm honorificentiſſimum ſibi monumentum ducit, ſub te conſtantiſſimo viro fluctuaſſe. Mare omni ære perennius eſt. ſua hoc ſenſim exeditur duritie; illud ſuis liquoribus alitur. Stat fluidum marmor æmula ſeculorum æternitate, non ad cuiuſpiam demortui labentem memoriam, ſed ad vitam ſalutemq; gentium, perpetua bonorum communicatione, mutuoq; commercio tuendam, ac propagandam. Sed quis non miretur non ſolùm nullum remiſſum a Xauerio, verumetiam, & hoc quidem tempore, aucta omnia in ſuum corpus iamdiù domitum, imo verò, illibato virgineo flore, beatis cognatum mentibus, cruciamenta? quandoquidem cum ne ſuus quidem eſset, neque quidquam ſibi præter virtutem reliqui feciſſet, in victu, veſtitu, ceteriſq; huiuſmodi rebus, ſi quid ditiſsimæ mendicitati ſuæ porrigeretur, modò ſpiritum duceret, quo alijs ſeruaret aut redderet, cetera omnia, non cognitis rationibus ſuis aliorum bonis, domina caritate, ſeuerus paupertatis cenſor adſcriberet. Iàm verò quid enumerem tot, ac tam varios portus diuinis ab illo mercimonijs opibuſq; ditatos? Ignota oppidò inſtitoribus negotiatio, quæ in aliorum tantum lucrũ

cedit,

cedit, nulla indè ſperata mercede, præter laborem. niſi quod adeò accepta eſt ſupremo rerum omnium Domino, vt tantum afferat laboranti voluptatis, quantum ijs, quibus opera nauatur, emolumenti. Hactenùs a ſe nunquam viſas, neque auditas iam habebat deſcriptas animo regiones. Illæ præſenſerant opem, antequàm viderent aduentum. Nunciata virtus allicit, ſpectata capit, probata dominatur. Duo millia leucarum, ſeu ſexies mille paſſuum millia emenſæ prætoriæ naui, promontorium aperitur manifeſtis infame periculis. Africa quippe immenſo procurſu cuneatur ea ex parte in oppoſitam Auſtralem terram, algore & glacie rigentem. Interiecti verò gemini maris, ab ortu in occaſum veſano furore concurrentis, tantus eſt conflictus, vt vel maxime expertos gubernatores ſuſpenſos reddat, ac terreat. Media pernicies: nec declinatio vtrauis ex parte in tuto: hinc alliſu ad ſcopulos minitante, indè horrendo frigore arcente. Promontorio caput bonæ ſpei nomen eſt; quòd ſpes, accita penè audacia, & excuſſo timore, aleam ita iacere debeat, vt qui mucronem illum durſi Africæ, naufragia molientem, breui flexu ſuperauerint, non ſolùm reliquam Africæ oram, totiuſq; Aſiæ littora legere, ſed etiam in Iaponiam atq; vltima orientis regna, per varios oceani anfractus interrito impulſu traijcere ſe poſſe confidant. Intende Franciſce oculos, quorum vſum adeò lux mentis auertit, vt comitibus ad honeſtum itineris tam duri ſolatium, locorum ſitus, ac diuerſa naturæ miracula circumſpicientibus, dubium ſit an videas quod videre te credis; an minimè credas te videre quod vides. Hoc, hoc, inquàm, tibi iam non dicam bonæ, ſed ſpei non dubiæ caput; cum vel inuidia nunc attollat ſuum. Duo ſiquidem illa maria te primùm viſo, vt ſuas in partes rapiãt, mutata veteri diſcordiæ cauſa, acriùs feruentes amoris impotentia fluctus in prælium contraria vtrinquè formidabili fronte committunt. Naturæ diſſidium vertere in propriæ cupiditatis obſequium. Prò quanta pulchritudo virtutis, quæ pacata ſerenaq; , vel in elemento adeò hic turbulento ipſas etiam exaggerat ſui amore tempeſtates! Ignoſcite nauarchi. æmulæ beneuolentiæ iurgium eſt. Vos ipſos ego teſtor, in quorum animis, has inter agitatiſſimas oceani partes, amore erga Franciſcum æſtuãte, ſua quoquè ineſt procella non minor, fluctuante ſententia, vtrũ præſtet alijs nationibus tantum boni cedere, an a vobis iam poſ-

ſeſſum,

ſeſſum, in veſtra emolumenta retinere. Veſtri cum marinis certant amores,ne in molli vnda durâſcere pudeat,& ardenti frigeſcere. O quàm opulenta merx,cui prædandæ tot inter dimicantium manus, præbet ipſa ſe pietas ducem! Exiſtimet ſe victorem qui volet.fauebit ſua cuique fides ac votum.verendum enim minime eſt,ne Xauerius,qui vbiquè lites ac bella componit,aut vos deſeruiſſe,aut illis vnquàm defuiſſe videatur. Aio iterum; aſpice Xaueri, conuerſa in orientem prora: vt qui huc veluti triumphator appulſus es, te ſimul veniſſe, vidiſſe, viciſſe prædicemus. Tibi iam inſulæ,tibi ſe continentis regna ſubijciunt.tua ſunt omnia; a te tamen ſummo ſtudio,curis ingentibus, incredibili labore,grauiſſimis ærumnis, coniurata poenarum legione, inauditis terra mariq; periculis, crudeles inter belluas, & hoſtes feris immaniores, ſola Dei ope munito, tuaq; virtute militante, ſubigenda. Non enim tibi dormienti, vt olim de neſcio quo Athenienſium duce fabulabantur, vrbes àuicularum more concluſas rete ad pedes fortuna deponet,ſed conſilio,& patientia,innumerabiles populos arctiſſimis Dæmonum vinculis ereptos, a teterrima ſeruitute, in Chriſtianam libertatem vindicabis. Verùm præpotens Deus tãtum in te virium donorumq; coeleſtium contulit,vt hoc arduum,ac difficile opus,non tàm inchoatum, quàm ad exitum iam perductum præiudicetur. Quod maius fortitudinis argumentumne dicam, an priuilegium, quàm quod nondum ceperis,iam tenere;quod nondùm feceris,peregiſſe? Sed ne fortè mea non minùs tenuis, quàm imperita, locorumq; inſolens oratio, in hoc promontorio diutius morata naufragium faciat, Goam tranſmittam, Mozambicum præterlapſus; vbi tamen Xauerio,tùm eius probandæ patientiæ, tum prauis moribus inſulæ corrigendis, incommoda coeli tempeſtas, ſpatium temporis in ſemeſtre protraxit. Goa Indicarum fermè princeps vrbium, quæ ab inſula nomen accepit aut inſulæ dedit,tandem conſpecta pudorem mihi maximum inijcit, quod ab illo bonæ ſpei capite, ad hanc vſque ciuitatem bis,ac decies mille paſſuum millia,tàm diuturno,ac difficili tempore, tam periculoſa febri tibi recenter ſuborta,tam ſedulo in comites non paucos peſtilenti morbo languentes caritatis officio, abs te Franciſce confecta, momento tranſuolauerim. Quàm leui mea impenſa, quod tibi tam caro conſtitit! Ampliſſimam tuarum laudum materiam ſæpè hactenùs

nùs puncto dictionis preſſi. Maximùm tamen operæ pretium oratori eſt, quòd libera ſuæ inopiæ confeſſione, affert compendio maiorem rei laudatæ gloriam, & promptius ſuo labori leuamentum. Gratulerne paruitati meæ, Franciſce Xaueri, an tuæ magnitudini, an vtrique? Verùm ſi præterito curſu correpto deliqui, mulctam mihi mox nouis itineribus irrogabo.

ORATIO XVIII.

Franciſci Xauerij itinera omnia.

SI quis fortè miratur, me qui adhuc tot exercitationibus, iſtius qualiſcumque ingenij tenuitatem magna ex parte detriuerim, eandem nunc, inter infinita Franciſci Xauerij terra mariq; itinera, videri velle conficere; is ſi mecum inuictam viri, quamquàm incredibili negotiorum mole pene oppreſſi, in illis peragrandis celeritatem, paratumq; erga omnes ad ſe confugientes auxilium paulò attentiùs reputauerit, intelliget neque me a debito tantis meritis officio deſiſtere oportere, neque illum mihi, in eius gratiam ſupra vires laboranti, defuturum. Etenim in tot, ac tam varias regiones Chriſti nomen inuexit; in tot imperijs Dæmonum aras euertit, cultumq; deleuit, in tàm multis Chriſtianorum oppidis inolita vitia extirpauit, tot terras, & maria exhauſit, vt orbis terrarum aut ſe iàm minorem ſeipſo credat, aut illum humana conditione maiorem; ſeculum verò, quod tantæ rerum multitudini, ac magnitudini breue eſſet, ab illo in duo luſtra compulſum, fateri non vereatur, tempus ſapientis arbitrio currere, & licet æternum ſit, & rerum edax, operoſa mortalitate conſumi. Ergò Pariſijs, vt ſuprà memorabam, Xauerius ſanctiſſimum vitæ genus, Ignatij parentis inſtitutione, & exemplo, aggreſſus, Venetias, hinc Romam, Roma in Luſitaniam profectus eſt. Inde Atlantico commiſſus oceano, propter duo Africæ latera in extremum illum ad auſtralem plagam cuneum lentè coeuntia, Mozambicum, Melindam, Socotoram tenuit, ac tandem Goam tertiodecimo nauigationis menſe peruenit. Quis non arbitraretur vicies mille paſſuum millibus iam ſuo illo conſueto

ſueto viuendi more modoq; decurſis, aliquas hic inducias curando corpori, animoq; curis laxando daturum fuiſſe? At hæc in Chriſti caſtris,ſola Dei gloria imperatrice,non agitãtur conſilia.nõ habẽt in hac militari acie induciæ locum; quippe quæ hoſtiũ vires inſtaurant,& augent audaciam. Alijs verò tunc lenteſcunt nerui, & ardor relangueſcit. Iſta exangui facultati meæ, iamdiù per tuas Franciſce laudes ſe ſe trahenti ceſſatio debetur. Niſi tua me dextera erigat, & refectum vtcumquè ſuſtentet,non video quomodo tecum longiùs progredi poſſim. Me dicentem ingenium,ac verba deficiunt. Tibi creſcit eundo animus. tu laſſitudine recentior ſurgis, & languore valentior. tibi noua ſubindè ad vim vegetiorem naſcentia germina, ne fortè areſcant, continuis ſudoribus rigas. tu, dùm te vbiquè agitas, fodis itando ad ſocium robur in tua imbecillitate fundamenta. tu tellurem æquoreamq; planiciem iugiter verris,aras,ſulcas; vt vires penè iam ſolutæ, ad nouos labores indureſcant. tu curſu curſum incitas. alterum altero tarditatis incuſante, poſtremus omnes increpat. Tua, Xaueri, caritas ſolam nouit ſimulare ſegnitiem. Qui volatus mente pernicior? quæ penna leuior voce? tu ille es, Heros maxime, quem eloquentiæ principum in tuæ gloriæ præconia conſpirantium, per tot vrbes,prouincias, ac regna vagantem, neque mens, neque lingua conſequi poteſt. Sentiunt hoc populi omnes a te luſtrati, trepida laude celeritatis; dum verentur ne tu, alme ſol, qui diem defers, noctem fugiendo trahas. Goam veniſti? feſtos dies agit.te Goa eripis? in luctu eſt. in promontorium Comorinum euadis? exultat, ſeipſo altius. in oram piſcariam te transfers! hæc, illo ruente,tripudiat. in regnum Trauancoridis migras? triumphat. triſtis verò regio piſcaria vnionum foecunda genitrix, te vno viduata, ſuas auerſatur diuitias, ſterilem ſe mallet. moerorem tamen ſolatur, quòd credat vniones in lacrymas ex te labentes eſſe conuerſos. Vndæ ſiquidem tuis criſpatæ ſuſpirijs, te vbertim flentem conſpiciunt, quòd mortalium libido, ignota aut contempta piſcatione animorum, maris purgamenta in imis penetralibus ſcrutetur, ſola ambitione raritatis. Natura verecundior, quæ illa coercet aluo, nec foras egerit, hominum indigna cupidine. Humana inſania non habet modum. etiam excrementis pretium facit. Plerique tamen ſibi videntur pluſculum ſapere, quòd

ventrem

Digitized by Google

ventrem in auro exonerant, ne corporis humani egeſtiones marinis ignobiliores habeantur: aut vt eo exceptas honore, ac ſumptu, ſtercoreus animus, deo ventri adoleat. Eò proceſſit faſtus, vt ad opum oſtentationem, aurum cui tantopere inhiat, ſordium miniſterio ableget. In aurum, in quo cibum capit, eijcit fæcem. Heu nos miſeros! metalla pauperum alimentis coemendis neceſſaria, purgãdo ſuperbi diuitis ſaginato abdomini deſeruiunt. Denique ſic ſe res habent, alij mortem in fame, alij opes in pelago, alij gloriam piſcantur in ſtercore. Non dubito quin hæc, & alia eiuſmodi per ea littora, magno animi ſenſu Franciſce defleueris. Progrediamur. Tibi ſe namquè Ceilani, Negapatani, tibi Coromandelli, Meliaporenſes (ſepulchro S. Thomæ Apoſtoli nobilitati) tibi denique Malacenſes obuiam fundunt, maximo gaudio venientem excipiunt: non minore triſtitia proſequuntur abeuntem. Idem animorum motus quocumque te confers. Aduentus vbique tuus, præeunte lætitia, pediſequum dolorem habet: hic illam propemodùm occupat. ſe ſe confundunt; dubia gente vtrùm fortunam beet, an deploret ſuam. Cauſam habet ab incredibili fructu. Eundem inſulæ Molucæ, Amboinum, Maurica regio, atquè alia loca tulere caſum. Nulla tamen abs te deſeruntur. Magnitudo prouentus in hac coeleſti cultura, ſpatia temporum fallit. hic anni viciſſitudines nullo modo ſationem a meſſe diſcriminant. Solaris abundè omnes, Franciſce Xaueri: ſed copia voluptatis ſemper habet cum tẽpore iurgium. E Maurica regione Amboinum reuiſis: Ternatem Molucarum inſulam principem reuolas: Malacam ingenti labore, ac ſtudio repetis. Stas, & ſtare loco neſcis: huc aut illuc nondùm aduectus raperis aliò. Vbiquè moraris; mora culpante moram. nulla tamen in ijs damna, ſed querelæ. Se viciſſim lacerant; non tamen opere mutilato. Hæccine ab animantum genere didiciſti? minimè verò. naturæ opus diuini quidem veſtigium eſt. ſed aliundè tua caritas; quia non eadem genitura. Aliæ igitur tabeſcunt. vel hoc ſolo ſe parentes produnt aſſiduè. quin etiam plerumquè vitam cum pullis excludunt. Aliæ circumuolant nidis, amoris vertigine: & dum macreſcunt, erraticis vſquequaquè gyris conquirunt proli alimoniam. paſcuntur interim obliuione ſui. Animal eſt in agro Peruano supernè canem, ponè ſimiam referens. amplam ventri ſubiectam tunicam habet, quam laxat, & colligit, poſcente

Digitized by Google

vſu.hac editos recenter catellos condit, & lactat introrſum. ſubindè quoquè humi ponit liberæ luci,ac pabulo. quod ſi quid infeſtum occurrat,illico ſinuoſo illo volumine recipit,ſecumq; defert incolumes. Sunt hæc,& alia eiuſmodi,parens optime, quædam ſimulachra tui. Palleſcis, & ardes in cura tuorum. tibi ſomnus excubiæ,& inedia nutrimentum. Vbicumquè ſis, tutela præſens incertam reddit abſentiam. imò verò plerique te vno eodemq;tempore,diuerſis in locis viſum fuiſſe,atque imminentibus periculis promptum auxilium attuliſſe teſtati ſunt. Caritas te congeminabat:hac vna re, te iudice,illiberalis, quòd non poſſes vitæ tuæ pretio alienam redimere. O quoties ſenſiſti cor tibi dolore perfodi, quòd ferro non poſſet! O quoties corpus, quòd ſanguine nō maderet,lacrymis,ac ſudore maceraſti! quaſi verò noxam expiares, quòd nullis antè tormentis videretur pro tui animi cupiditate mactatum. Sic à poenis poenas repetiſti. neque tamen, niſi cruore imbuta, deſtitit vltio. Teſtor inſulam Mauricam, arcem latrociniorum, regiam immanitatis,venenorum laſciuiam, parentem crudelitatis, vbi barbarorum truculentiæ atque armis a Deo frequenter ereptus, inter horridæ ſterilitatis vepres,& rupium tela,teipſum fame,ſiti,æſtu, ærumniſq; confectum cruentaſti. At, ne ſic quidem extincto patiendi ardore, ſi quandò te nox errantem in aliquam ſolitudinem tui miſerta ieciſſet,ac menti obuolaret ſolitariæ auis imago, ſeipſam roſtro confodientis,vitaq; ſibi exhauſto pectore adempta,pullos denuò munerantis,hanc,dicebas,fecere natura, & pietas bis parentem. mène hactenùs ne ſemel quidem vitæ impendio tàm praeclari nominis honorem genitis Chriſto liberis potuiſſe promereri? Atqui profectò, vir fortiſſime, cum tu ita viueres, vt, æmulator Apoſtoli, quotidiè morereris, mortem tibi viuendo propagabas. Nequè verò vnus generandi, aut intereundi modus.te coeleſtis foecunditas infinitæ prolis continuum parentem faciebat, & partus intolerandi dolores exhibebant aſſidue mortuum. Sed cum in hac inſula cæteriſq; regionibus edita paſſim abs te illuſtria facinora ſpectaturi poſteà ſimus, quorsùm non modò reſilit,verumetiam tam ſæpè in eodem veſtigio hæret oratio? Immenſa ſupereſt,ac ſolicitat via. Verùm ingenua innoxiæ culpæ confeſſio maius habet laudis, quàm veniæ meritum. Sentio,videlicet,quàm commodum ſit,ac fructuoſum, o coeleſtis negotiator

gotiator

Digitized by Google

gotiator, quæſtorq; animorum,nunquam a tuo latere diſcedere. quippe cui, etiam properanti, aliquæ ſemper excidunt opes: ijs colligendis mea ſe paulisper ſiſtit oratio. quo fit, vt tuis impar viribus,& fatigatione anhelans,ſpiritum ſubinde interſecto curſu recipiat. habet in hoc aſtu geminum lucrum. Nihil eſt tecum inutile. Prò Deum immortalem! quanta ex te bonorum congeries, quandò ſummi Pontificis legatus pro ratione magiſtratus, iuri diuino dicundo omnibus inſiſtis atque inſides locis, quandò in officio, ac dignitate tuenda Eccleſiæ Catholicæ ſacroſanctis legibus inſtruis, regiſq; prouincias, cùm in tàm properatis vltrò citroq; itineribus, in tam rapido per tot maria curſu, adeò copioſa ſpargas emolumenta, vt antè abs te luſtratæ credantur, quàm viſæ prouinciæ.Sed me rursùm Malacæ cum Franciſco eſſe non obliuiſcor. In hac igitur vrbe percelebri, iamdiù vehementer ab illo expetita in Iaponiam penetrandi occaſio ſe ſe fortè per eos dies obtulit. Anger Iaponius, domi non ignobilis, nec leuis auctoritatis, ſummo inprimis ingenio, ac perſpicaciſſimo iudicio, bis è Iaponia Malacam viro ſanctiſſimo, ac doctiſſimo conquirendo profectus eſt. Cauſa tàm longæ repetitæ viæ,acerrimi conſcientiæ ſtimuli,qui hominem nuſquàm conſiſtere paterentur,quòd in coeca Iaponiorum religione abſurdiſſimis introſpectis erroribus,ſalutem ſibi aliundè petendam eſſe ſentiret.Digna homine cura ſtudiumq; Xauerius ab eo gentis naturam, mores, ſuperſtitionem, amplum Euangelij diſſeminandi campum, ſpemq;fructus vberrimi,aliaq; id genus permulta cognoſcit. Decreta profectione Iaponica,abducto ſecū Angero,Goam reuertitur,ſtabiliendis rebus a ſe ad diuinum cultum pietatemq; Chriſtianam inſtitutis. Hic in æde Collegij noſtri Diuo Paulo ſacra, Angerum Cathecheſim Chriſtianam edoctum, & ſacro fonte ablutum,Paulum à Sancta fide nominauit: quo cum fideli comite atque interprete,in Iaponiam ſepties mille paſſuum millia inde diſtantem traijcit. In hac Inſula, ſeu potius inſulis, ac regnis biennium integrum verſatus,& quæ ſunt ſuo loco narranda perfectis, tametſi tres reges atque innumerabilem hominum multitudinem ad Chriſti caſtra vertiſſet,nihilominus vſu ipſo comperit,non poſſe inibi Dæmonis imperiū deleri, niſi arce illius euerſa. Iaponicum vulgus mouetur nobilium ductu; nobiles Sinarum exemplo. ab his vt ſuperſtitionis origo,ita continuatio.quā-

Digitized by Google

obrem in vaſtiſſimum, ac potentiſſimum Sinarum regnum religionem Chriſtianam inferendam. Stat fixa ſententia. Sed interclusus obſtinatè aditus. Capitalis eſt peregrinæ genti acceſſus, niſi principum legatis. curandam a Prorege Indiæ Noronia legationem ad regem Sinarum. ſe comitem futurum legati. Deliberatio facto præuertitur. Franciſcus Iaponiorum Apoſtolus, relicto illis Eccleſiaſte Paulo a Sancta fide, remenſus (incredibile dictu) illud idem vel longum narratu iter, Goam reuiſit; noſtræ quoquè Societatis homines, ſuoſq; clientes vniuerſos, oppidaq; & pagos nouis idemtidem coeleſtibus beneficijs cumulaturus. Goæ confeſtim cum Prorege negotium legationis tranſigit. adornantur omnia. Abit cum legato Pereria, viro ſumma pietate, ac fortitudine. Vbi ventum Malacam, peruicaci illius arcis præfecti inuidia, atque inaudita impietate memorabilis hæc ac tam neceſſaria legatio tota diſſoluitur. Decreto, atque apparatu dæmonis arte deiecto, erecta alia omnia atque ingeſta impedimēta, Xauerij cōſtantia inuicta perrupit. Pergit in Sinas; Pereriæ legati a præfecto Malacenſi violenter retenti ſola voluntate proſequente, ac tandem in eorum fines penetrat; vbi comitum timor maior fide nihil tale ſuſpicantem deſerit. Attamen dum inopinato euentu nihil commotus, eo in portu aditum ad alienam illam gentem ſuo ſibi ſanguine molitur, cupiditati martyrij patria coeleſtis aperitur, qua maximis ſanctiſſimæ vitæ meritis, atque ingentibus uictorijs clarus, ac triumphator excipitur. Hæ ſunt peregrinationes Franciſci Xauerij. Metiatur qui volet viarum longitudines locorumq; diſtantias: vocet ad calculos toties in Iaponia, India, cæteriſq; Africæ, atque Aſiæ oris, & inſulis repetita itinera: in numerum digerat per tot flexus, ac Mæandros ſæpe obitas regiones: abeant in ſummam hæc omnia: Xauerius decennio, interciſis tamen per commorationum interualla temporibus, centies mille paſſuum millia deuorauit. Totidem aut plures expeditiones in vaſtiſſimo Sinarum regno atque alijs orbis terrarum regionibus inituro, curſum quies, eius deſiderio præpropera, rupit.

ORATIO XIX.

De ijſdem itineribus Xauerij, potiſſimum verò de tranſitu lineæ æquinoctialis.

MAximè vereor ne quæ hactenùs de Franciſci Xauerij Romani Pontificis legati tot,ac tam varijs luſtrationibus recenſui, pro rerum amplitudine pauca,pro dignitate inornata fuiſſe iudicentur. Cuius enim vnquàm, quod ſciam, mortalium gloriæ huiuſcemodi peregrinatio data, ijs præſertim curis quarum magnitudine fides, multitudine memoria laboret? Hæ ſunt, vir indefeſſe, quæ te nunquàm deſeruere comites: adeò vt ſi lubeat laborem itinerum cum animi agitatione conferre, tam grauem contentionem iudicium omne refugiat. Huc accedit conſtans ille dominatus in tuum corpus; cum tibi minimè pius viderere, niſi illud inexorabili ſeueritate mulceres. quaſi verò periculum eſſet, ne fortè iam enectum reuiuiſceret, niſi mortem redderes noua ſubinde morte ſecuram. O coeli victima, in te ſecures, in te funera, in te geminas rogos; vt cum vnum virtuti tuæ anguſtum ſit, tot ſurgant monumenta quot merita. Hæc a me ſæpenumerò dicta. ſi tñ egregij operis inſtaurata frequenter commemoratio videtur oneroſa,multo grauior illius eſt nunquam intermiſſa effectio. Siue auditorem tædium ſubeat, ſiue oratorem dicentem, illud tam laudabilis pertinaciæ veneratio eſt. Sed vt ad tuas expeditiones, Franciſce,me referam,quis non miretur, te iſta corporis conſtitutione, iſtis viribus,negotijs, angore, & ſummis plerumq; temporum difficultatibus, viarumq; impedimentis, tot prouincias, ac regna peruadere,luſtrare,diuinis inſtitutis colere,ac perficere potuiſſe? Tu quòd tibi occideret Oriens, quòd terræ moles eſſet exigua, quòd te procurrentem ſpatia deficerent, eaſdem cogebaris retexere vias; & quidem ea pernicitate, qua non tam impreſſa viderentur,quàm currendo ſuſpenſa veſtigia. Priùs tua te præſentia conſpicuum reddebat, quàm fama vulgaret. Quàm ſæpè,te diuagante, ac feſtinatis vno eodemq; tempore auxilijs,

locorum

locorum ſpatia fluctuarunt! adeò vt non antè fierent de tuo aduentu certa, quàm læta de fructu. Stupuere coeli cardines mortalem, qui ægrè ſe ſuſtineret, tot geſtantem prouincias; neque inſtar coeleſtis machinæ rotatum, ſed nullo motore, nullo fulcro, nullis adminiculis, aut adiumentis ſe ſe agentem; neque vno tantum recto impetu, ſed etiam quaquauerſum atque obliquè ruentem: neque in alteram ſolùm, verumetiam in vtramq; ſimul terræ partem iiſdemq; momentis ſpargentem radios, ac lumina inexhauſta fundentem; cum tuæ Xaueri lationes nuſquam diem a nocte diuiderent. Tantum non ſtetere ſigna coeleſtia, attonita quòd nulla vis eſſet, quæ tuæ fortitudini poſſet obſiſtere. Tène illa fortaſſe terruiſſent? In tuúnè animũ Vrſæ, Tauri, Sagittarij, Scorpij, Cete, Canes, Hydræ, Lupi, Centauri, Dracones incurriſſent? Scilicet. tu coelo fixa poetarum inuento monſtrorum ſimulachra curaſſes, quæ toties in terris tu ipſe luſiſti. Quos non enim in Africa atque Aſia leones, tigres, elephantos, rinocerotes, aliaſq; immanes belluas vidiſti? eas a te blando vultu, ac ſerenis oculis erectas adeò tui amor allexit, vt tacitè inſinuarent, naturam ſibi nouercam fuiſſe tradita feritate, quam te ſuauiſſimo parente deponerent. Fuiſſent libenter in tuo magiſtratu miniſtræ; ne homines puderet ea iuſſa capeſsere, quibus ſe animantia bruta ſubijcerent. Quid? tùne forſitan (abſit nefaria comparatio) tùne, inquàm, neſcio quo inferior Orpheo? fabulæ ſunt, ac meræ gerræ quæ de illo circumferuntur. Te te nec dubia fides crudeles beſtiæ, diuino imperio, exuta immanitate, reueritæ. cultum tamen ſubrepens moeror penè lugubrem fecit tuo aſpectu poſtea carituris. ſolatio fuit, quod te in Regiam beatorum euecto, ſui effigies, ſigna illa (dico) coeleſtia illic haberent tanquàm vicaria perenni honoris tributo tibi ſoluendo. Solam immortalitatem picturis inuiderunt. At tu Venuſine lyrice, quid ais? Illi robur, & æs triplex circa pectus erat. reliqua cantent in ſcholis adoleſcentes. Tum illud, Qui ſiccis oculis monſtra natantia. Væ tibi. Longè aliter oceano tranato lyram concinnaſſes. Et tamen illa monſtra Xauerij ſtetere nutu, fluxere dicto, paruere præceptis, applauſere currenti. Teſtis eſt cancer ille, Chriſti vexillifer, quem inter Franciſci prodigia, poſtmodum mea non immemor in conſpectum dabit oratio. Rem verbo tangam; quæ naturæ vires excedunt, fabuloſa dixere vates;

tes; diuina autem vi ſanctorum virtus, ac merita vera fecere. A belluis in coelum remigro. O quoties aſtra nocturna in hemiſpherio tibi Franciſce oppoſito ſuæ puduit lucis, quòd te ſiderum ſidus ſpectare non poſſent! O quoties ſol tui quamprimùm viſendi gratia in ortu concitatior, vbi tecum velut in ſtadio, incredibili alacritate, curſu diurno exultaſset, flexus in veſperam triſtis occidit, ſuaſq; condidit æquoreo funere voluptates. Cohorruit tamen aliquando, cum te videlicet Olyſſiponenſi è portu Goam traijciente, ac lineam, quam æquinoctialem vocant, ſubterlabente, tuo ſe vertici rectâ imminentem vidit. Ille tunc turbatis coeli ordinibus, tranſuerſo impetu, alia ſibi ſpatia inuaſiſſet, niſi zona, qua decurrit, coercito, libere vagandi poteſtas eſset erepta. Quis enim eſt qui molem incommodorum, quam tibi caritas per id tempus impoſuit, æquare dicendo valeat, cum vel ſola cogitatio illi obiectæ ſuccumbat, cui ſuſtinendæ tua fortitudo non ceſſit? Quæ tibi mens, qui ſenſus, quæ cura Xaueri, cum in illo maris tractu, coeliq; plaga, paulò poſt ſolſtitium arderent omnia, cum æſtu intolerando nautica turba vectoreſq; languerent; cum grauiſſimæ febres congererent funera, cum lues contagione vulgata etiam valentiſſimos quoſquè proſterneret, cum corruptis, ac putridis rebus omnibus ad eſum, ac potum neceſsarijs refici corpora ſemiuiua non poſsent, cum tam multi hoc vno ſolatio exhalarent animas in tuo ſinu, quod nullo poſſent parens optime, digniore tumulo condi. Ah! quæ non flumina, in tanta hominum ſtrage, oculis euoluiſti! Natabat inter lacrymas, ac ſubiectū æquor miſeranda nauis; nullum tamen pacato tunc mari, niſi è tuo fletu, ac ſuſpiriorum procellis formidatura naufragium; cuius enimuerò nullum periculum ſuberat, quandoquidem commiſeratio non affert, quod auertit, ſi poteſt, malum. Dabant tua illa gemina ſidera, quos coelum negabat imbres. poterant hi ſoli tuam tuorumq; ſitim reſtinguere. Hic tuæ caritatis maior flamma non ſenſit ſolis, quos oppreſſit ardores. Hic palam omnibus fecit, debilitatis iniuria temporum locorumq; corporibus, non minùs in te, quàm in ſingulis graſſari vim mali; ſed plùs, quàm in omnibus vigere virtutis. Quotum enim quemque, nulla tui habita ratione, non ſummo ſtudio fouiſſti? cui non omni ope, quà animo, quà corpori curando ſuccurriſti? quem non tua illa comitate, ac benigno vultu recreaſti?

quæ

Digitized by Google

quæ Chriſtianæ pietatis officia, & quidem aſſiduè non exercuiſti? adeò vt ſub illa linea æquinoctiali, nulla eſſet in tuos vſus, & commoda, diei ac noctis ad æqualitatem ſectio, cum operoſiſſimè omnibus, quæ poſſes, miniſtranti perpetuus eſſet quodam modo dies, eorumque calamitatem acerbiſſimè deploranti continuam vis doloris noctem ingereret. Et quidem cum è natura loci, ac temporis res eo in ſtatu eſſet, vt poſitis ventis, ac tranquillo mari, oneraria, quæ vela facere non poſſet, immota ſiſtere cogeretur; inualeſcente radiorum repercuſſu veſano feruore, illa quies agitatione violenta multò grauior, & malacia immani tempeſtate atrocior extitit. Neque verò hic tantum tua Franciſce, ſemper inuicta magnanimitas cum elementis coeloq; certauit; ſed cum multò maxima pars curſus tui zonæ torridæ oram vtramq; non exceſſerit, & linea æquinoctialis flexuoſis alibi aliàs itineribus interſecanda fuerit, non abſimiles plerumq; incidere; quæ tibi eſſent tolerandæ calamitates. quas cum fortitudini tuæ leues duxeris, meæ ſunt in dicendo imbecillitati grauiſſimæ. Tantum in te eſt, Heros admirande, roboris, qui ea pertuleris, quæ ne ſimplici quidem poſſint narratione deduci. Quapropter iterum me in portũ Sinarum recipiam, vndè quietem tibi nuſquàm antè conceſſam, primò auſpicatus, tandèm in æterna felicitate cepiſti. Hoc, inquam, in portu, te fauente, vires penè collapſas erigam, ac reficiam, dum ſtudeo aliquam rerum abs te toto decennio præclarè geſtarum partem quoquomodo repræſentare: ne te tantum innumerabiles gentes, ac regna peragrantem, verumetiam vbiquè admiranda præſtantem intueamur. Solummodò quippè peruolare in omnes terras, totumq; oceanum verrere, non eſt laus egregio principi debita, ſed commendatio digna curſore. Quod autem attinet ad profanas, ac veteres Græcorum Romanorumq; imperatorum excurſiones, quas antiquitatis adulatrices hiſtoriæ fauſtis clamoribus proſecutæ ſunt, id ſolum dicam, non ad comparationem tuæ virtutis, ſed gloriæ incrementum, illas fuiſſe non longiſſimæ viæ, minimi fructus, & maximæ vanitatis.

ORA-

ORATIO XX.

Xauerij acta in India.

CVm multa me a dicendi officio plerumq; deterrent, tùm illud inprimis quod communi ſermone ita percrebuit, vt nihil poſſit afferri, quod non iam omnium aures animoſq; compleuerit. Etenim cum nihil tum deſideretur in oratore præter ornatum, niſi eloquentiæ dignitas nouitatis rerum vicaria ſit, perſtabit factorum gloria penes auctorem, & orationis nuditas exponet dicentis ignominiam. Hoc illud eſt, quod me in hac potiſſimum, & reliquis quæ me vocant orationibus adeò perturbat, vt nec ſtare in veſtigio ſine crimine, nec mouere gradum ſine periculo poſſim. Nam quò ſe flectat, quid ſpectet, quò tendat oratio; cum nihil nouum, nihil non auditum, nihil ignotum de te, Franciſce, quo ſe vſquàm exercere poſſit, occurrat? Iam non tuum te nomen, ſed facta diſcriminant. otioſo præcone res geſtæ loquuntur. Iam contrectata vbiquè præcurrentium inſignium operum magnitudine, micantes omnium gentium ad plauſum manus ſubſequentem famam ſuo quoquè pondere laſſam exonerant. Pöetæ alas dedere famæ. induiſſe poeniteat, occurrēte ſibi quod nunciat facto; feliciter tamen anteuertitur; quia animoſa virtute, non culpa ſegnitiæ. Vt ad ſolis præſentiam auroræ radius expungitur, ita nuncij narratio, re ſubiecta oculis, exploditur. Et hoc inter alia tua, Franciſce, prodigia, quod officia vocis actorum clamoribus opprimuntur. Cum igitur facundiæ atque in dicendo elegantiæ, quod vnum mihi reliquum ſubſidium eſſe poterat, ſpem omnem vſus longè diuerſus, vel etiam natura præciderit, hoc ſolùm extabit a me in tuam laudem pretium operæ; nimirùm quòd omnes intelligent tantam eſſe vim claritatis tuæ, vt tenebras affatim meo iſto labore congeſtas, poſſit euincere. O fortunati prò te conatus! vt vt cedant, vertuntur in tuam gloriam. Sed ne diutiùs coepti ſermonis curſum ſuſtineam, ea eſt hominum multitudo quos Xauerius ad Chriſtum primo adduxit, aut quos Chriſto reconciliauit, vt teſtium, ſcriptorum, ora-

eorumq; diſpergat memoriam,& conturbet: ita tamen, vt recordatione ſemper mutila, neceſſe ſit numeri minoris mendacio, maioris fidem aſtruere. Atquè vt ſepoſitis fructibus ex animorum cultura in Europa collectis, orientalium manipulorum aceruos reuoluamus, quid referam Melindam, Socotoram, Trauancoram, ex hara Mahumetana lutulentas, a Franciſco Xauerio Chriſtianæ ſementi faciundæ ita purgatás, vt tellus ad vitalem animorum alimoniam antè putruiſſe videretur! Quid dicam tum de his regionibus aliqua ex parte, tum omninò de alijs deorum futilium, dæmonumq; populatione incultis atque horridis, in quas tantam induſtriam laboremq; contulit, vt exciſæ veprium ſyluæ in lauros florumq; corollas abirent, ex eius ſociorumq; ſequentium rigata ſudoribus fronte, aridas minimè vnquàm futuras? Veſtra Molucæ, Mauricæ, Iaponicæ, Ceilanæ, atque aliæ inſulæ anguſta ſunt horrea; tua littus Comorinum, tua piſcarium, ac Trauancoris, clauſtra dehiſcunt, ad tàm ingentes bonorum cumulos: neque laxari ad captum diruta poſſunt. ſternantur ſola terrarum in areas, ſuſtinendis quas generant frugibus. arctis rerum venalium plateis, agrorum aluus ampliſsima ſe ſe per anni vices alternet in forum, exponendo quo leuatur partus oneri: neque vnquàm annona metuat, ne Franciſco curatore vlla temporum aut hominum macreſcat iniuria. Mitto Goanorum, ac Malacenſium campos, Chriſtianos illos quidem, ſed partim ſegni aut feneſcente cultura imbecillos, partim ethnicorũ, Saracenorumq; tanquam lolij, admixta peſte fermè corruptos, inſtauratis operis apprime vegetos, vberes, ſummaq; pietate florentes. Prætereo Amboinenſes, ac Macazarios, in quibus cum ſolius nominis Chriſtiani vmbra ſuperſtite reliqua omnia Chriſtianos ritus, ac mores mentirentur, viri ſemper indefeſsi diligentia effectum eſt, vt conſpicua veritas veteres incolas fateri cogeret, nihil iam a priſtina profeſsione diſſentire, præter nouum Chriſto debiti cultus, ac pietatis incrementum. Sed quid ego camporum, ac frugum ſimilitudinem ſpeciemq; prætendo? non hæc de quibus agimus agriculturæ ſunt opera: non penſa colonorum: non terræ prouentus. Paret quippè naturæ officium operoſæ neceſsitati: non claudit tellus agricolis ſinum: proſciſſa non rebellat: non lapideſcit ad aratrum: non obſtinatur ad vomerem: non reſpuunt ſementem reuulſi caſpites; non retrudunt raſtrum;

Digitized by Google

non cruore putatis ſudatur arboribus; neq; plorant vites dolore reſectæ luxuriæ. Suæ ſunt rebus ratione non dotatis ingenitæ leges. nihil in his habent fiſcorum manus. nihil hic lenocinatur lictorum ſecuribus,aut virgas emollit.nulla deniquè hic contexta reſtibus torques longiore ſuperbit in collo. Cum hominibus igitur laborioſa,ardua, perdifficiliſq; congreſſio. nec eam dico, qua tubarum clangoribus animatæ manus rapiuntur in ferrum, qua fulgurant in acie gladij, tormenta ærea fulminant, iaculorum nimbi, telorum procellæ, pulvereæ nubes, clamores inconditi militum noctem, lucem, luctum, mortes, horroremq; vaſta confuſione commiſcent; qua conciduntur agmina, lacerantur legiones, & captiuorum greges vinculorum penuria ferri pretium augent. Non hæc,inquam, ad Franciſci Xauerij honorem certamina, non bella iactamus. Nam quanta tandem iſta gloria? Et venabulo induuntur apri: hauriunt haſtæ leonum latera:immania cete miſſilium tempeſtate confoſſa,deficiente anima,medio in mari officioſè lubrico,ſemitas cruoris trahunt,vt in littore,vitæ termino,& mortis hoſpitio, iam graui corporis mole poſita recumbant: iuuenci coguntur ad iugum: ſagittis configuntur grues, & intra caſſes auiculæ noua nænia friguriunt eſcario in funere libertatis. Quod igitur ratiocinationis huius caput? nimirum de animo adoriendo,ſuperandoq; diſſerimus. Humanum arbitrium iuris eſt ſui. Non ferro,non flamma, non feris, neque vlla potentia inferri voluntati vis poteſt. Alij conſcribendi milites: alia armorum tractanda genera: aliæ bellandi artes legeſq; cudendæ. Petitur hæc ex alto ſcientia, facultas, ac vires, quarum miniſterio animus coeleſtis radij ſpiculo ictus, monita ſalutis admittat: quarum delinimento ad frænum diuini timoris adhinniat, velocior futurus adducto, quàm remiſſo: quarum deniquè victoria Deo ſubactus, mentitam adorati à ſuis dominatus libertatem, in ſola Chriſtianæ conditionis nobiliſſima ſeruitute certiſſimam ſortiatur. Quantum cedit lutum gemmæ, homini pecus, mancipium domino, mortale ſemper victuro,tantum corpori animus antecellit. Quamobrem multò impenſioris eſt operæ, laboriſq; humana machinatione majoris,vel vnius tantum hominis flexiſſe mentem,voluiſſe arbitrium, fregiſſe ſententiam, quàm populos omnes ſola vi armorum in parendi neceſſitatem compuliſſe. Quo fit vt nouus hic tot pro-

O 2 uinciarum

uinciarum Apoſtolus, inermis, vagus, rerum omnium inopia inſtructiſſimus, plenus Deo, ſui comes, amore præcone, pugnante doctrina, veritate victrice, ampliorem de Eccleſiæ, aut virtutum hoſtibus gloriam adeptus ſit, quàm Græcorum, Romanorumq; duces propagandis bellica fortitudine imperijs compararint? Non ducuntur in pompa vincti cathenis, neque oris habitu perdito, aut ſtupore Iugurtinæ amentiæ coniuge, ſed eodem triumphali curru cum Xauerio victore vehuntur Indi, Iaponij, atque alij reges, populorumq; dynaſtæ, ignota tam multis principibus captiuitate liberi, fauſto plauſu circumſonante ſubſilientes, nouam diuinitus induti mentem; & dum Chriſto rerum Domino parent, edocti hoc vno glorioſo mancipatu regnare, & viuere. Illis eſt Chriſti iugum diadema, virga ſceptrum, iuſſa fauores, ſeruitium dominatio, & nutus anima: cumq; edictum omne coeleſte, eſurienti obedientiæ ſegne videatur, eorum amor ſupremi regum regis deſiderium occupat, & manus auteuertit imperium. Quid dicam de cæteris hominum ordinibus, locorumq; indigenis a Xauerio partim charactere Chriſtiano inſignitis, partim è magna morum deformitate priſtino decori redditis? Deus immortalis! quantam patior è copia difficultatem! Impeditur in tanta turba delectus. Me iterùm Goana, iterùmq; Malacenſis ditio vocat, vbi egregius ille Pontificius legatus id effecit virtute, & lingua, quod nulla vnquam Luſitanorum arma potuiſſent. Occurrunt Ternatenſes, alijq; quamplurimi Molucarum inſularum incolæ, quos è vita profligatiſſima, non vi & minis, ſed opinione ſanctitatis, & patientia eò reuocauit, vt ne ſemper perirent, aliquandò feliciter perijſſe viderentur. Arridet gemmifera ora piſcaria, è cuius non minùs amplo, quàm pretioſo piſcatu animorum, beatiſſima coeli domicilia collucent: cum innumerabilem ethnicorum multitudinem Chriſto adiunxerit; cum antè diſceſſum quadraginta ſummo Numini templa erexerit; cum itidèm mille infantes ſua ipſe manu aqua luſtrali aſperſos ſideribus inſeruerit. Fortunatæ animulæ, quæ vos ante ſenſiſtis felices eſſe, quàm viuere: quæ confeſtim euolaſtis Chriſti genitoris in gremium, ne fortè hic ſugeretis è nutricis papilla venenum. Date oſculum non obſtetricis dexteræ, ſed Franciſci. Effert caput, meq; reſpicit Trauancoridis regnum, vbi propè infinitis Idolorum cultoribus, ac Mahumetanis Xauerij ſigna ſecutis, Tartareorum

rum

rum hoſtium tandem euerſum imperium eſt. Hos non magis puduit ceſſiſſe victori, quàm temporis breuitati. Ea fuit celeritas, quà rerum geſtarum magnitudo veſtigia moræ corrupit. Rara laus eſt certo vrgente malo, naturam temporis dubiam reddidiſſe. Oſtentant eminùs coronas duo Macazarij reges, quibus a Xauerio ſalutari præfixa cruce, margaritarum lucem hebetante, vileſcunt, quæ illas premunt, Indicæ merces. Onus omnino graue, niſi torpet ſenſus. pleriſq; tamen principum capitibus fortaſſe interdū ad faſtū leue. nulli ne ſcrupulū quidē ad ſanitatis trutinā omnibus verò, ſi non tàm geſtent, quàm patiantur, ad ſalutaris conſpicuum apicem dignitatis. Eandem religionem ſuadente Xauerio, mouente Deo amplexi populares, adhærent dominis, ac dæmones arcent; intolerandum rati gemina ſeruitute mactari. Surgit nona Mauricenſium, ac rurſus Molucenſium facies, meq; loquentem interpellat, teſtata nullam tantam eſſe feritatem, quæ non poſſit uel vnius tantum humani hominis vſu, & comitate miteſcere. Illa illa truculenta barbaries, cui ſumma eſſet rerum omnium pro lege licentia, vbi ſola dominatrix impunitas pretium ſceleri faceret, vbi nulla niſi probitati ſupplicia, nullum niſi flagitio præmium; illa inquàm ceſſit vni violentiæ caritatis. Mirum dictu, hoc armorum genere domari barbaros, quo vti ad pugnam recuſant. Gratis inſaniunt. Eneruí humano robore, atque omni conatu languido, earum inſularum indignata natura, impietatis vindictam in ſe recipit. Rerum ferè omnium infoecunda, ſolas generat, ſimulq; fert vtero ruinas. Ipſo partu grauidatur; ne vltionis penuria flagitiorum copiam augeat. Quis vel oculi iactū immaniſſimæ gentis ſuſtineat? Quis, contrà, portentoſa regione furente non contremiſcat? In Ternate Moluci inſula montes flammarum globos, cinerumq; torrentes eructant, omniaq; latè ſubiecta vaſto inuoluunt interitu, & in ſacrilegos valentiùs armatæ rupes ignea ſaxa iaculantur. In inſula vero Maurica terra perpetuis quaſſata motibus, penetrales ſui partes, ac miſtas uiſceribus undas uomit, atque interdum uiciſſim reſorbet. neſcias utro pernicioſior. Quis uentorum undiquè luctantium rabiem deſcribat? Trepida manu uacillant litteræ. prona dextra diſſoluitur. coelum ſupinam uocat. littora illa irrequietis Oceani arietantur fluctibus, ſi fortè, ſuperfuſo æquore, inquinatiſſimæ ſedes, & campi elui poſſint. Scilicet id curæ eſt barba-

ris,ad metus, & ſecuritatis parem contemptum natis. luſus illis eſt malum domeſticum, pingueſcunt conſortio calamitatis. Traxere generoſa germina è terra genitrice feritatem. illis eſt conſanguineus furor. ſunt parentis imago; non terrentur eius aſpectu. Eſt tamen & ſua emeritis commiſeratio. ſi quando igitur illæ intentæ poenæ lenteſcunt, nunquàm remiſſa gentis atrocitas, vltima ſolicitat fata. incumbit operi vicario; non minùs ſuis quàm aduenis propinata amoris veneno conditi hoſpitali patera, vt ex alijs in alios celerius amplificetur crudelitatis ambitio. At ex iſta protaſi, & è tanta epitaſi quæ tandem cataſtrophe? nimirum modeſtiæ auctoritas in hoc Mauricæ, ac Molucenſis Reipublicæ moderatore coeleſti, atque animorum dictatore tantum potuit, vt rerum omnium repentina facta mutatione, momentum Xaueriani temporis ſeculorum comitijs adoraretur. O inſigne documentum prudentiæ! ne incolarum ferociam magis aſperaret iuſta correctio, concionum acrimoniam blandiſſimo ſemper leniuit obſequio: neque tam præceptis virtutum formas in rudibus animis induxit, quàm ſanctiſſimæ vitæ quotidianis expreſſit exemplis. Hoc vincere eſt, ac regere. Quamobrem indigenarum alij, Euangelij hoſtes, Eccleſiæ ſacramentis expiati, in Chriſti militiam adſcripti ſunt. alij religionis deſertores in caſtra reducti. alij ſtabiles illi quidem Chriſtiani, ſed moribus magnifica hortante inſania impenſè perditis, priſtina reuincti diſciplina, recuperauere cum mente probitatem. Res denique diuina tandem pro animi voto compoſita. At in eo miſero ſitu regionum eadem nihilominus tormentorum, quæ commemoraui pertinacia. Sic eſt. fateor. ſed videlicet, vt vna ex parte peſtes illæ quæ videbantur criminum vltrices, in honorem Mauricæ, ac Molucenſis fidei, ac virtutis, in tanta naturæ perturbatione conſtantis, verterentur: ex altera vero, vt illius coeli, terrarum, pelagiq; veſani tumultus perpetua eſſent Xaueriane potentiæ præconia, cujus præſentia ſolo penè dicam nutu barbarorum contumaciam fregiſſet, quam coniuratæ ſeuero naturæ imperio tot malorum cohortes nunquam flectere potuiſſent. Hoc nimirum deerat fortiſſimo heroi, vt debellatis hominibus, naturam quoquè vinceret. Sic geminum retulit ex vno bello triumphum. Valete inſulæ. Pæana canite. Me Arabum, me Perſidis, me Indiæ regiones rapiunt, vbi quondam Alexander ille magnus, inter proie-

ctas

Digitized by Google

ctas a fortunà, præeunte victorias, velut momentaneum fulgur euanuit, ſolis cognomenti relictis veſtigijs, in paruorum regum nunquam conſociatam multitudinem repente diſcerptis. Breue imperium ac dilaceratum longas atque integras fudit ruinas, immolandis tot nationum gregibus Semiperſæ Macedoni, Iouis Ammonis, dæmonis dicere volui, filio. Sui cultum mendicauit in hoſtium clade, quam deniquè venerationi ſurdam, & ætatis florem metendo non pigram ab amicis accepit: vt ipſe cuius ambitio in ſanguine miſerorum uictrix enataſset, Babylone inter patellarum phalanges, in roſa languidus, exitiali poculo mergeretur. Non hominum ſtragem, non agrorum populationes, non urbium uaſtitatem Xauerius coeleſtis imperator intulit: ſed uitam, ſed ſalutem, ſed diuinas opes, bonorumq; perennem copiā: pluribus tandem in regiam beatorum tranſmiſsis, quàm quos glorioſus ille ſemigræculus iuuenis mactatos in æternum exilium eiecit. Hæc non fugitiua Franciſci gloria: hæ ſtabiles uictoriæ; hæc ſuauiſſimæ conſuetudinis emolumenta: hæc trophæa ſapientiæ, hæc monumenta caritatis. Quæ omnia cum ubiquè per ſe admirabilia ſunt, tùm præſertim in Iaponia ita eminent, ut aliorum excellentium uirorum toto terrarum orbe diffuſæ res præclarè geſtæ, illic in unius honorem tanti herois aſſurgant. quo fit ut me deijci cum dedecore ſentiam, dum ad eius laudes adnitor tametſi cum timore. Interea inclamat illa tàm longè poſita inſula, & ſuo iure expoſtulat; donec labores inibi a Xauerio exantlati, quibus eſt impar mortalitas, partem huius mei qualiſcumq; conatus exerceant totus ad irritum cadat, dùm præſtet officium.

ORATIO XXI.

Xauerij acta in Iaponia.

MAgnopere uellem Deus immortalis feciſset, ut quemadmodum rerum a Franciſco Xauerio in Iaponia geſtarum magnitudo cum multitudine, ita oratorum excellentia in illis celebrandis cum copia poſset de laude contendere. Quamquàm ego ſanè, quem cum aliàs ſemper ſtu-

dium

Digitized by Google

dium longè diuerſum,tum nunc maximè & ætas, & vitæ ratio ab illo vtriuſq; partis diſſidio procul haberet, non viderem, quem exitum tàm præclari certaminis mihi eſſe pertimeſcendum putarem. Sed quoniam conditio quæ me periculo liberat, ab officio non facit immunem, illud ita exequar, vt nec obeſſe queam oratorum numero,è quo excluſus ſum,nec eloquentiæ dignitati, quæ id a me non poteſt exigere, quod non dedit. Huc accedit, quòd quæ vir vndecumquè clariſſimus in illa vltima Orientis prouincia patrauit,tot ac talia ſunt, vt cum ab ijs qui ſummam in dicendo vbertatem profitentur comprehendi non poſſint, nihil debeat ex hoc meo alterius ordinis munere, niſi breuiſſima ſumma euocari. Quare mea mihi leuis erit, quæ alios onerabit infirmitas. Plerumquè ſua cuique diues inopia eſt. commendationis ſuffragium referam, vndè poteram culpæ timere iudicium. Nequicquàm fortaſsè in Franciſci Xauerij actionum pulcherrimarum amplitudinem ſe ſe pandet aliorum plena facundia. ego me non fruſtra cum tota mea ſarcinula colligam. Viderit illa ne ſi latiùs quàm par eſt vrgeat vires, temeritatem diſperſa inanitate propaget. hæc contracta in anguſtum confidentia, nullum relinquet timoris periculo aditum. ſpem prædæ ſuccidet exploratori cenſuræ. Plura proloqui non neceſſe. Si ad correptas narrationes exordia laxauero, in me ipſe fatuitatem perorabo. Egomet erectam mihi pro defenſione arcem compendij prodam. Agedùm igitur, quis dæmonum legiones recenſeat,quas dux ille fortiſſimus è Iaponum ædibus, delubris, vrbibus fugauit profligauitq; ? Didicere ſuperbi animorum prædones, ſecula tyrannicæ poteſtatis, breuiſſimi temporis reuoluta circulo,poſſe vnius viri virtute,ac robore in ſuo tandem recuperato vero principe conquieſcere. Sed quid de Bonzijs, hominum, vel potiùs pecudum genere contaminatiſsimo referam ? Quid in ſuis illis cœnobijs, vel potius ganeis commune habent præter ſordes,quid ſingulare præter nequitiam ? De hac inter ſe dimicant. Nullo alterius victore,de ſe quiſque triumphat,ſeipſo ſemper nequior. Illis præpoſtera omnia. quæ in re principatum tenet libido.& tamen eorum diſciplinæ, ac fidei creduntur nobilium liberi, ne infandis ignibus pabulū deſit. hos poſtquàm nihil docuerunt præter ignorantiam, & corruptelam dimidio deteriores quàm acceperint parentibus reddunt. Nihil in

Iaponia

Iaponia Bonzijs inquinatius. Nihil apud illos penſi, præter rem argentariam, popinam, venerem, & arrogantiam: Verum quid altiùs hærens, quid religione potentiùs, vbi primùm hominum mentes inuaſerit? Iſti ſacrorum cuſtodes, ac præſides egregij ſuperſtitioſo Deorum cultu adeò principes viros plebemq; dementant, adeò omnes ſimulata in victu parſimonia, ſupercilio, fronte, totoq; corporis habitu faſcinant, vt improbitatis cum ſuperſtitione connubium, non minus ſibi, quàm dijs ſuis conciliata veneratione foecundent. Dijs ligneis vafri ſtipites nundinantur, imperata oppidò adoratione ex Epicuri ſtabulo liquata rudis populi manu ſaginato, dum illis honorem ſpargunt, & ſibi lucra conuerrunt. Non abſimiles dixerim ſacrificulis Idoli Baal; qui cum olim, coràm ſanctiſſimo vate Thesbite licitante, facturi boue, totum diem flagellato inſanis vlulatibus coelo, ne ſcintillam quidem ignis exoraſſent, quorum ſacrilegæ impietati flammarum globi debebantur, tandem ipſimet quadringenti boues, vnius vicarij, a circumfuſa multitudine, prompto ad liberalius ſacrificium ferro mactati, lautiſſimum ſuo illi helluoni deo epulum præbuerunt. Par Bonziorum ſcelus non mitiore alias exitu dignum. Sed non ſunt hæc Chriſtianæ religionis in ethnicos aduehendæ initia: neque ſemina grauidandæ telluri, quæ nunquàm de Chriſti fontibus biberit, committenda: Aliæ a ſapientiſſimo Iaponiorum Apoſtolo initæ viæ; longè diuerſæ cum iſtis religioſiſsimis vitiorum tabernarijs, pijſq; latronibus, ac reconditæ inſcitiæ oraculis inſtitutæ agendi rationes: tametſi nullus difficilior, quàm cum tali hoſte congreſſus. In diſputatione, nihil afferunt præter ſurditatem; in contentione, præter clamores; in concluſione, præter conuicia. Quæ tamen omnia, Dei beneficio, Franciſci eruditio, patientia, ac modeſtia ita fregit, vt eorum conſcientiam ad bonum ſtimulantem ſola peccandi licentia cohiberet. Nonnulli tamen nō ſolùm veritati ceſſere; verum etiam paruere victori. Populares ad audiendum proniores. Patuere cum auribus oculi. Dederunt catervatim Xauerio manus; Iaponiam primi glorioſiſſimo nomine Chriſtiano conſecrarunt. Nobilium animus plerumquè robuſtior. Huic edomando, quæ non Franciſci molimina? oppoſitus clypeus, Sinarum exemplum. indignum cognitu, quod illis ignotum. recipi non debere, quid-

quid excluderent. hoc eſt, ſe probè deſipere, quód Sinæ ſplendidè inſanirent. Egregia verò defenſio, aliena ruina ſtabilire ſuam. In eadem cum illis plebeij iacuere. ſumma eorum defenſionis, procerum mores. Tantum inſtar in principibus viris vbiquè gentium. Nec deſunt, qui modò adorentur a ſuis, quid ipſi colant, incertum. niſi fortè ſibi ſunt numen: cui dum plerique blandiuntur gratioſo in ſpem plenam acceſſu, aulicorum inuidiam colligunt veneratione perſonatam; quam ſubindè liberali benigni vultus mendacio repenſant. Sic nihil inter illos ſinceri præter fraudem. Ad Franciſcum redeo. conſtantiſsimum inter tàm arduas difficultates eius ſtudium adeò in opus a ſe decretum incubuit, vt aliquot regum atquè optimatum peruicaciam fortitudine, ſuperbiam moderatione, aſtum ſagacitate, morum inquinamenta vitæ ſanctitate peruicerit. His addita graui Chriſtianæ rei momento de Bonziorum ſummæ inter illos exiſtimationis antiſtite inſperata victoria. Hominem pellexerat Xauerij vrbanitas. ſuperauit doctrina, virtus obſtrinxit. factus eſt de magiſtro diſcipulus. Optabile genus verſuræ, alterius partis honore, & alterius lucro. Doctore deiecto quæ ſtabilitas auditorum? Eius alumnorum nullus ſtetiſſet, niſi ſuæ quemquè priuatæ rationes nutantem fulcire potuiſſent. magnum malum, cui, quidquid portendatur, cuiuſlibet exitus par pretium eſt. Contrà verò innumerabiles inſularium familiæ, dominorum quidem exemplo excitæ, ſed, vt ſunt Iapones acerrimæ mentis, perſpecta ſuæ religionis vanitate, ingentibus Xauerij curis ad Chriſtum adductæ. Cetera perſequi non mihi animus, quia facultas nulla. hæc meæ nunc in dicendo voluntatis auriga. malò me hominem indiſertæ prudentiæ, quàm ſtultæ loquacitatis. Surgant atquè opes exponant, quorum votis eloquentia fauit, aut ſilentio condantur quotidiana illis in regnis Xauerij acta. Honoris edicto ora ieiuna muteſcant. Inſultent loquentis audaciæ tumultuarij præ multitudine factorum memorabilium concurſus. Antè ſomnum auditoribus ſpargat, omni ſtertente ſubſellio, immaturæ facundiæ garritus, quàm illuſtrandis continuis noctibus a Franciſco toto illo biennio Iaponenſi, vt olim a Doctore gentium epheſino trienio vigilatis, pro debito meritorum præconio, miſera diſperdat eloquia. Quantò eloquentior Malacenſium accidit auribus, alto noctis ſilentio, æris exigui pulſus, excitandis vicatim ab illo

ſalutari

ſalutari Chriſti præcone vrbium ciuibus, ad animos corpore ſolutos, e piacularibus poenis prece non conſopita eruendos! Eius pietas Hebræorum iudicis capillo valentior, non portas Gazenſes media nocte, cardinibus reuulſas, humeris aſportabat; ſed ſua ſuorumq; manu ſupplicibus votis animoſa, percuſſas alias fores, oſtiaria Dei miſericordia annuente, pandebat. Id in Iaponia quoquè ab illo factitatum non vtiquè dubitarim. Madeant vtiquè declamatorum ſudoribus, obſeſsi captiq; laudis ambitu ſuggeſtus, dum noui huius Apoſtoli in Chriſtianis legibus publicandis grauitatem, peritiam in explicandis, in permouendis animis efficacitatem, felicitatem in expugnandis, in tuendis fortitudinem celebrare pro dignitate conantur. profectò exiles, ac fermè ſicci eloquentiſsimorum hominum fontes, in iſtorum temeritatem opportunè copioſi, non ſine malè prouiſo exiſtimationis naufragio redundabunt. Ecquis eſt qui audeat aut memoriæ credere, aut ſtylo committere vrbes, oppida, nulloq; diſcrimine ruſticorum pagos, pauperum caſas, atque alias ſedes, in quas ille, non tàm ſalutatione præmiſſa, quam allata ſalute Chriſtianam religionem nouam hoſpitam deduxit, heram poſtmodum bonis omnibus circumfluentem, animorumq; imperatricem futuram? Illa tàm longè latèq; protenſæ inſulæ, atque aliarum adiacentiũ loca, quæ ſe toties præbuere Franciſci calcanda veſtigijs, nulli ſe vnquam recordationi, neque linguæ ſubijcient. Narrantis minor eſt fides, & inferior excellentia laudatoris. Illius ſoccatis nuditate pedibus attrita terrarum ſpatia, diſperſo itinere, viatorem hærentem obliquarunt. Illius animus quà quà ſe agit, præter rerum amplitudinem nihil aduertit anguſtum, quocumque aſſurgat, nihil humanum ſublime videt, niſi quod iaceat Chriſto ſuppoſitum. Itaque ampliſsima quæque regio ſuis gratulatur anguſtijs, & ſuperbi hoſtium faſces tandem Chriſto ſubmiſsi, attolluntur quàm antè ſublimiùs, ſeſeq porrigunt, non minùs Franciſci victoria læti, quàm ad eius triumphantis currum honoratiore lauro decori. Prouinciarum immenſitas, illi compendium viæ eſt. deijciendi, & erigendi quæ oporteat, par negotium. totius verò operis conſummatio, tot gentium parta ſalute, diuinæ gloriæ augmentum, ac tyrannici dæmonum principatus excidium. Magna ſunt hæc, ſed non paucis, mea quidem ſententia, pauca colliget, qui ieiunus in dicendo, qualem me eſſe agnoſco,

P 2 tantum-

tantummodò aſſeret, facere & pati fortia ſemper fuiſſe tenacem huius herois præſtantiſsimi comitatum; eius animi tranquillitatem in maximarum rerum continua molitione conſediſſe; cupiditatem nunquam in effectione conſtitiſſe; ſpem ſperari ægrè potuiſſe; maiores expectatione meritos euentus; acta illuſiſſe temporibus; tali denique vita ambiguam ſe ſenſiſſe mortalitatem. Attamen ego me graui ſcelere obſtrictum eſſe minimè dubitarem; ſi quem ſibi Xauerius in illa Iaponica horrida vaſtitate, & labyrintheis anfractibus viarum prorſus ignaro ducem itineris elegit, quæque inibi locato cum ſeruitute pedeſtri curſu perpeſſus eſt, nunc ſine cauſa ſilentio premerem. Verùm cum id eius virtutes in aliam peculiarem ſibi ſedem vendicent, libero deſiderio, & cohibita voce, immune ab iniuria officium, commodiùs poſteà in earum obſequium cedet; neque voluntati querelam ſuggeret dilatio, quæ faciet iure imperatam debito moram. Non tamen narraturo quot ſe mortibus Franciſcus obiecerit, producta vita ſufficeret. O quantum animorum bonum, ad cuius adeptionem omnia Xauerij membra quaſſata ſunt. Colliſis olim, ac diffractis Dei iuſſu ab exercitu Hebræorũ teſtaceis vaſis, in quibus mediæ lampades arderent, Madianitæ inſolenti fragore amentes, conuerſo in ſuorum proximum quemq; hoſtili ferro à ſeipſis cognato furore conciſi. Reconde gladium vagina, fortiſſime Gedeon; obuio barbaro pugnæ laborem tibi ſupplente. Nunquàm maius extitit hoſtis erga hoſtem officium. O dirum fauoris miraculum! O feliciter ſtulta humanitas! Quis neget iſtos coeco marte pugnaſſe. At verò non in mutuam barbarorum internecionem contritæ Xauerij corporeæ vires, ſed ad promendum ex illo vaſe fictili, (vt loquar cum Apoſtolo) animi theſaurum; ad efferendam illam conſpicuam facem, vnde illi eaſdem perſpicerent in ſe abſtruſas eſſe diuitias. Monſtri ſimile eſt, vixq; credibile, niſi veritas cogeret fidem, in tantam mortalium plurimos dementiam ferri, vt gratioſi apud omnes imbecillitatis humanæ patroni, cauſam illi, ſubruta veri boni firmitate, adiudicent. Quidquid delinquitur, natura fit rea. acciſis viribus, corroboratur improbitas; & malo, cui ſola virtus mederi poſſet, committitur, vitio curationis, officium. Debilitatem prætendimus, & malitia non flaceſcit. In nobis nunquàm ægrotat nequitia. quàm miſerè verſuti ſumus! perimus vtrinquè. Ad

hæc

hæc aduoca deorum execrandum cultum illicò deſperatio triũphabit. In hoc Dæmonum caſtra Iaponica: in hoc aggeres, atquè arces munitiſsimæ; non quas, vt quondam Ioſue Hiericuntina mœnia, tubarum tonitru euertit; ſed Dei vnius, ac trini obiecta naturæ infinitæ potentia, ſed Chriſti ergà genus humanum amor denunciatus, ſed virtutibus, ac vitijs æterna propoſita merces, Xauerio fortiſsimo duce, ad pacem caduceatore, ad veritatem aſtruendam admiranda prodigia patrante deleuit. Hinc vt verecunda rerum ſumma orientem cum Iaponia ſui extrema parte complectar, adorata tot gentibus veri numinis, Chriſtiq; maieſtas: hinc tot ab illo debellatæ coelo nationes, atque tam multis antè ſeculis indomita regna. O fortunatæ victoriæ, quibus honore conſociato victores, ac victi triumphant; quæ non hauriunt alienas opes, ſed profundunt ſuas; quæ non adimunt, ſed largiuntur imperia. Quodnam hoc genus armorum, Deus immortalis! quod praeliatur hoſtis deuicti victoriæ, extincti vitæ, moerentis ſolatio, capti hoſpitio, redimendi pretio? Ignoratis contra quos pugnatis, ò barbari; amicus eſt, non hoſtis aggreſſor. Non hæc illa quondam Chriſtianorum legio fulminatrix, attonitis vexillaribus aquilis, Romanorum hoſtium terror, dum gladios acueret votis, dũ lacrymis ſudorem miſceret, dum ſacris precibus clamorem militarem animaret ad impetum, ac coeleſti armata fiducia confertos rumpens cuneos immenſas ederet ſtrages: ſed ſupremi exercitus imperatoris, qui auertendo a veſtris capitibus fulmini, obijcit ſua: qui non veſtro, ſed ſuo imbuenda ſanguine in praelia ruit. Vos, præter ceteras, teſtor, vos appello beatiſsimæ Iaponiorum Chriſti militum animæ, Xauerij clara poſteritas, magni parentis incrementum, eius laborum fructus, atquè ~~ab orbe, vt vocant nouo~~, in illas prouincias veſtras, quà lucis exordium eſt, tranſuecta ſementis, vndè noua ſubindè pullulant generoſa germina. quæ non illic, cum aliquot iam ante annos, tum hac potiſsimum tempeſtate, tormenta pertuliſtis? quas non cuſtodias maritauiſtis, infamia pro dote, carnificina pro epulo, pro ſymphonia conuicijs, pro lectis equuleo? quos non gladios veſtræ ceruices hebetarunt? qui non mucrones veſtris immerſi iugulis ſenſere iamdiù fauces martyrij cupiditate diductas? Caluere carnificum manus in veſtra conditæ viſcera, non tam ſanguinis æſtu, quam ardore caritatis. Iam in

illius

illius magnæ inſulæ multis partibus, veſter circumfluus cruor no-uas deſcribit inſulas. Iam ad cruces exciſæ idemtidem ſyluæ vertuntur in ſaltus. Iam flammis paſſim in corpora veſtra ſene-ſcentibus, materia vndecumquè rapta, recentes ſubindè adoleſcunt ignes ad rogum, poſcente pyra, ne buſta ſterileſcant. illi illi, nimirum cineres foecundiſſima ſunt nouorum Chriſti militum ſemina. non vna quippè vos Phoenix. naſcetur conſtantia de exemplo, de dedecore gloria, vita de morte. O quoties inter immanes cruciatus oculi veſtri nondum tota morte clauſi, alia atquè alia poenarum inuenta videre; ne hoc illis poſtremum deeſſet a luce beneficium. O qualia veterũ quondàm martyrum ſpectacula, cum iretur a virgis ad bacillos; ab his ad rotas; a rotis ad beſtias; hinc ad pectines ferreos; mox ad plumbeas glandes: hic curreretur ad ſaxa; illic ad lampades; modò raperentur ſcorpiones, & modò mallei; feruerent ſartagines; acuerentur pelli nouacula; fallax viuis effoderetur terra, dimidia ſui parte morituris; integris negaretur quies: etiamnè in ſepulchris impietas? oſſa, & crura confracta inuitarentur ad inceſſum a teſtulis; ſtagnorum gelu citaretur ad prunas; vſtulata membra ſecuris expectaret; cruces æmularentur laquei, & gladios rogi; poena poenam vocaret; ſupplicium diuideretur; non vno pleno interitu pelleretur vita; vt quò productior, eò fieret mors illorum crudelior. & ne ab illis gratiæ Deo agerentur, ac tortoribus oraretur venia, euellebatur lingua radicitus, denteſq; comminuebantur: quaſi verò Deus non alias audiret voces. At vos, ò nouæ Iaponum Deo mactatæ victimæ, aut his ſimilia, aut non inferiora tormenta pertuliſtis. O prodigioſæ fortitudinis admiranda ſpectacula! O immortalia Iaponicæ monumenta virtutis! Illi circumfuſus inſulæ iam veſtro cruore rubeſcit Oceanus. & quamquam tàm inſigni colore ſuperbit, attamen tyrannorum rabida ſitis, quæ adhuc veſtro ſanguine non potuit, vltricibus rapta gurgitibus extinguèretur, niſi elementum iras poneret, veſtræ patientiæ documento. Surgite conchylia, tàm pretioſo grauidanda ſucco: tumeſcat hoc epoto aluus, gignendis ad coronas fortiſſimorum athletarum margaritis. At verò non eſt quod illis Getuli piſces, aut Tyrij iugulentur. funde murex, funde purpura tuò è gutture liquores in regum veſtiaria. Chriſti generoſi milites nullos ſibi ornatus in belluarum faucibus quærunt. ſuomet ſanguine, ſuccis omnibus ditiore,

ditiore, purpuraſcunt. hos ſibi proprios amictus vendicant: hæc magnificè fluctuantia paludamenta. quæ non enim in eorum corporibus abſumpta ſupplicia? quas non laſſauere carnificum manus? Hæc ſol vides, curſumq; non ſiſtis, propiore fruiturus aſpectu? Confer oriens recentes ſacræ militiæ cohortes cum illis, quarum te olim ad occaſum vergentem, Nerones, Caligulæ, Domitiani, Decij, Diocletiani, atquè alia eiuſmodi monſtra, in coeli contemptum, ſpectatorem eſſe voluerunt. tu nulla percuſſus inuidia, fatebere, nihil in toto huius vniuerſitatis theatro videri pulchrius poſſe. Agnoſcite igitur, ac veneramini, o Iaponum rex, ac toparchi nouum hoc bellatorum genus, qui (vt ante dicebam) vitæ veſtræ partu interimunt ſuam: quibus, ſtabiliendæ communi ſaluti, tot ſubeundæ ruinæ: quorum in vos arma, nuditas; tela, amor; contentio, beneficia; victoria, veſter honos; ſpolia, ſui exuuiæ corporis; laborum deniquè terminus, Iaponici ſemper agitati quies imperij. Iam verò vt rurſus vniuersè ad orientem mea, quæ ad finem prona eſt, ſe flectat oratio, nihil eſt quod animum meum magis afficiat, quàm tot, tantas, tam varias atque arduas res gemino luſtro ab hoc præcellentiſſimo legato Pontificio confici potuiſſe. Cæſar dum Gallias eodem temporis interuallo ſubigeret, hoſtium decies centena millia ſua clementia trucidauit. Totnè ſuperbo imperatori ad Romanam rempublicam euertendam victimæ? neque id ſatis, niſi flagellatis Gallica pecunia arcis, ſaniorem Romanorum partem corrumperet? Vrbem adnolat. non erubeſcit vigil patriam matre potiorem violare, qui ad Rubiconem materno in ſomnis fædè illuſus attactu horruerat. Cum autem ſui conditoris, eiuſq; fratris memor, vna duos Roma dominos non caperet, ſtagnantes indignantibus aquilis cognato ſanguine Pharſaliæ campi de ſumma rerum arbitri, litem imperij, alterius profugi cæde diremerunt. Pompeius primo fermè militiæ tirocinio magnus, demùm veteranus imperator, Phario puero minor, ſuum ipſe caput detulit, primitias ne impetratæ quidem pro ſummo beneficio ſeruitutis. Sic placitum coelo. Fortunæ rota non niſi futiles querimonias voluit. Extinctis bellorum ciuilium reliquijs, turbulento quinquennio vix ad quietem exeunte, quæ tandem Romæ tentata victori Cæſari merces? Infamis ille conſul Antonius, & non minùs vitiorũ, quàm corporis nuditate lupercus, ſedenti pro roſtris iugalibus

domino,

domino diadema lauro intextum offert, obmurmurante populi nubiloſo ſilentio. hic reijcit, communis plauſus claro ſuffragio. Explorabatur ſpectatorum animus. Nullius artis inopia laborat ambitio. Grauis Dictator per forum præceps, luperco inſanior, non quidem corpus, ſed iugulum nudat obuio cuique ſi fortè queat ventoſo capiti ſpiraculum facere, vt ſtrangulata regij nominis voce, liber gemitus imperatorij doloris erumpat. Gentium victor ſibi carnificem quærit, nobiliore dignus manu: nec etiam vno poterat ictu tanta tamq; fortis abigi anima. adde quòd, & plurimorum vitæ ab vnius corpore repetebantur. Poſtmodum inter viginti tres ictus reuóluta diſcurrit, ne ſine certamine videatur tantus imperator occumbere. Nullo externo hoſte ſuperſtite, in domeſticum, (quo nullus maior) incidit, non potuit niſi proditus vinci. Attamen quàm ingens faſtuoſi capitis delirium? Nullane gloriæ amplitudo, niſi faſciola colligetur? Nullane oris venerandi lux, niſi laureæ frondis vmbraculo? Quàm leuior folio faſtus! & ſuum tamen cultorem opprimit, hic inter folia fructus eſt adoratæ miſerrimæ felicitatis. Ille orbis terræ domitor, cuius in omnes imperium, ſupplicat Romanæ plebeculæ. Ille ad cuius pedes, tot reges, ſuperati, ſuas ipſi coronas abiecere, nemini ad vllam capiti ſuo imponendam nictare audet. reddiderat tamen non paucis. Quàm acerbum illi fuit ſibi negari, quod alijs vltrò donauerat. Monima Mitridatis vxor primaria, eiuſq; deliciæ, deſperatum iſtum dictatorem riſiſſet, quæ à marito profligato, Lucullum prementem fugiente, iuſſa per nuncium, non mortem, ſed mortis genus eligere (moleſta optio) detractum ſibi diadema ſuo iudicio indignum meliore vſu, viri crudeliter amantis miniſtrum eſſe voluit. Verum cum non laqueus ille nobilis, gulam duriorem mulieris, ſed laqueum gula fregiſſet, illicò diſcerptum, proterendum pedibus dedit, ſeq; nuncio iugulandam. Cæſar mortem implorauit, quòd regium illud inſigne geſtare non poſſet; animi plena mulier, quòd geſtaſſet. Si ad extremum vir ille non pluris feciſſet diadema, quàm femina, eius ambitio, à negata forenſi cæde viuacior, nunquàm ad ſenatorios curiæ Romanæ gladios appellaſſet. Agè verò, quorſum enim iſta commemoro? nimirum, Chriſtianæ ſapientiæ fulgor per ſtultitiæ profanæ tenebras, quaſi quodam tráſcurſu, menti noſtræ ſe ſe altiùs infert. Eò namquè nonnullorum

proceſſit

proceſſit furor, vt nihil eis in hiſtorijs luceat, niſi petitum, & obiectum ex ethnicis; adeò vt eorum tantummodo facta demirentur, quos è ſuo in coelum raptu ſapientiſſimus rerum humanarum æſtimator, ac iudex Apoſtolus, in arcana illa ad Romanos epiſtola; æternæ apud Deum obliuioni deuotos eſſe teſtatur. Etenim quænam tandem iſthæc Cæſarianæ laudis argumenta, quem tamen imperatorem ceteris anteponunt? Ille incredibili hominum multitudini vitam ademit: Xauerius meliorem pluribus dedit: ille texit hoſtium cadaueribus campos: hic eorum, quos ex inimicis amicos Dei effecit, animis, coeleſte regnum adauxit: alter nulla plerumquè, niſi ſpecioſa neſcio qua cauſa: alter ſemper neceſſaria dimicauit: ſua illum ambitio de ſtatu mẽtis honorumq; deiecit: ſua hunc moderatio fecit ſapientia, & dignitate ſublimem: alterius miſerandus exitus cothurno tragico theatra exercet, ac terret: alterius clauſa fortunatiſſimæ vitæ periodus terras, coelum, æternitatem mixtis gratulatione præconijs implet. At quod tandem Cæſaris funus? Comitiorum ſubſellia illius largitionibus foedè polluta, tumultuarioq; ambitu tam ſæpe conuulſa ad rogum in foro cucurrere, vt ſedes vnà cum republica euerſæ, eodem arderent incendio. Mentita eſt dictaturæ perpetuitas; dictator abſumitur, fumoſæ gloriæ fax abit in cineres. Si quid tamen fuiſſet in te Cæſar apud Deum meriti, o quàm inſperatum præmium! ſiquidem in vrbe domina gentium idem cinis exiguo conditus globo, tuæ ſpectãdæ obeliſco altè inſidens, impoſitum ſibi triumphale crucis vexillum oſtentat. Ille, inquam, aſſurgens orbiculus, orbem terrarum conſpicuè prædicat ſubactum non ferro, ſed ligno. felix vrna quæ non a tuo ære, ſed ab incluſo bifidà in crucem formata pulcherrima theca, ligneo veræ crucis Chriſti fragmento, perennitatem ſortita es. Non enim in tuum, ſed in eius honorem hoc erectum trophæum. Non ampliùs Cæſariano ſuperbies cinere; ſed Crucis potentia cinerum animatrice gloriaberis. Hoc illud eſt vexillare ſignum, quod Xauerius dux ſemper inuictus tot gentibus intulit. ad hoc barbarorum examina conuolarunt. ſub hoc iuere principes anteà Chriſti hoſtes acerrimi. huius virtute miles ignotus Chriſtiani venit ad nomen; & qui religionis noſtræ caſtra, infeſtus, vacuare tentauerat, amicus impleuit. At verò (vt dictis inſiſtam) quis non videt quàm diſſimilis Franciſci Xauerij, ac Cæſaris vitæ finis

nis fuerit, quàm diuerſum monumentum, quàm oppoſita omni ex parte memoria? Sed cum feliciſſimus noui illius tot gentium apoſtoli ex hac mortalitate diſceſſus funus, ac ſepulchri honores alterius exercitationis a me laborem exigant, tunc officium præſtabo non indigæ, ſed debitæ laudi. Puduiſſet nefariæ comparationis, niſi conſilium fuiſſet faſtuoſam ethnici hominis leuitatem, modeſtæ ſanctiſſimi viri grauitati patrocinantem intueri, ſacraſq; huius victorias tàm magnitudine, quàm multitudine profanis illius, quamquàm ſummi aliàs imperatoris, anteferre. Nec eſt quod Marcellos, Scipiones, Marios, Syllas, Lucullos, Pompeios, alioſq; huiuſmodi Roma mihi iactet imperatores, qui, eo ſeculi more, gentium a ſe deuictarum nominibus ſua nomina onerarunt. Iſti parta victoria, rebuſq; pacatis, conuerſas in omnium aures titulorum tubas inflabant. auditio cogebatur moras pati, dum longo tractu inſonarent Africani, Aſiatici, Parthici, Britannici, Germanici, atque alij adoptiuis appellationibus inſigniti. Terrarum orbis ſe ſe ad ambitionis cognomenta lacerabat. nomenclaturæ numerabantur in ſpolijs. exutis regionibus etiam vocabula rapiebantur. ignobile videbatur nomen Romanum niſi cognatum barbaro. Attamen oppidò ſi ad rationem facta reuocemus, poſito calculo, palleſcet triumphantium purpura; fides non conſtabit auditu. nam pars deuicta, totam traxit prouinciam ad triumphum; eminente in curru inter victores iactantia; & vt fuiſſet veritati honoratior ſedes, ſingulis tamen ad cognomina ſingulæ tantum obtigere prouinciæ; quorum eſſet hæres non familia, ſed ſepulchrum. In te verò Franciſce Xaueri ornando titulorum ſe ſe turba implicat; ſe vexat magnitudo; certamq; fidem maior veritas criminatur. Te Goanum, Malacenſem, Ternatéſem, Comorinenſem (quid minutiùs partior terras?) te Indicum, ac Iaponicum, tam diuerſarum vna linguarum vox, animorumq; conſenſus appellat. Imò verò, ſi eorum, quos dixi, vſu, pars totum metiatur, Amboinenſes, Maurici, Ceilanenſes, Paraui, Malai, Iai, Aceni, Mindanai, atquè aliæ feræ nationes, in tuis titulis pronunciatæ miteſcent audienti. Quin etiam ille alter, qui tum primo ſe ſe aperuit orbis, ſociorum, quos tua virtus imitatores habuit, opera, Eccleſiæ Catholicæ ſubiectus, ſuo ad tuum accito nomine decoris partem, honoriſq; depoſcit. Sic veteres, nouiq; orbes, dum in tui cultum laborant, viderint an poſ-

ſint

Digitized by Google

ſint in vnum tibi cognomentum de ſuo nomine imponendum coaleſcere. Verum his triumphalis pompæ clamoribus, quibus tanta hominum multitudo ſalute per te recuperata exultat, tua modeſtia vulneratur. Alijs tamen lenitur vocibus. Dum enim commiſſas à Deo prouincias orientis obis, ac luſtras, audire videor longè iucundiora tripudiantium præconia. Te quippè gentium effuſæ legiones, ac ruentium populorum globi, ad rectæ vitæ ſemitas lucem, facem ad diuinos amores, ſuum te ſolatium, delicias, perfugium, columenq; concelebrant. Vndique repercuſſi montes verba multiplicant: remugit oceanus, littora perſonant, vt cum parùm ſit quidquid de te dicitur, mutorum taciturnitas loquentium linguæ ſuccurrat. Hic virtutibus io triumphe canitur: illic exequiale vitijs carmen egeritur. Incertæ orientalium vrbium portæ quò feras gradum, tui deſiderium exploratorem in excubijs habent. Illo poſt ſpem aduentus impatiente, valuis effractis ciues erumpunt foras, prouolant venturo, ne tardè occurſent venienti. At vbi vota expectationis tua præſentia non fefellit, præcedunt, ſequuntur, circumcurſant, adeptoq; bono, penè dicam amentes nunc proferunt, mox referunt pedem. Sua quiſque veſtigia relegit, ſibi obuiat, confundit errores, conturbat delicias: Vaga, hærens, circumacta voluptas ſuo laborat in gaudio, expleri non poteſt, quia poſſe non videtur. Etiamnè beatis lætari difficile? Dum te illi obſident ſolicito ambitu, modò tui reſpectu ſe laxant, modò amore te premunt. blanda venerationi miſcetur iniuria. Indulge, Xaueri, contumaciæ gaudiorum. Ego verò hanc à me, non deprecabor, cuius plauſu blaterantis ſenis ineptiæ obruuntur. Exangues quoquè, ac tardæ vires gratiam habent animoſis aliorum ardoribus inter quos non inueniunt operæ, ſed veniæ locum. Interim in his triumphorum gratiſſimis tumultibus, mihi ad ſeceſſum relicto meditandæ virtutes atquè animi dotes, vndè talem ac tantum virum multò maior, quàm è tot victorijs ad gloriam commendatio conſecuta.

Q 2 ORA-

ORATIO XXII.

Franciſci Xauerij virtutes. Ac primo quidem ſumma animi demiſsio.

ANteqnàm è Sinarum portu, vndè Franciſcus Xauerius in communem omnium patriam ſoluit, Romam animus meus ignoto nauigijs temporis momento ſe ſe recipiat, ad ea ſpectanda, quæ optimus parens noſter Ignatius in ſummo Societatis regimine geſſit, neceſſarium videtur, continuata annorum ſerie, ſanctiſſimis Xauerij moribus, ac ſupremo tempori hanc etiam, qualiſcumque futura ſit, orationem conſecrari. Ac mihi quidèm eius virtutum ordinem atque ornaměta diſpicienti euenire id ſentio, quod coelum contuentibus ſolet; quorum vacillantes oculi ſcintillantium ſiderum ſpicula diffugiunt adeò, vt nullius certam pulchritudinem excipere obtutu ſtabili poſſint. Conniuet idemtidem acies, fruſtraq; nititur deſignare qua primùm fruatur. Errat in aduerſa qua rapitur luce, non minùs auaræ ob exceſſum, quàm prodiga ſui. Cum igitur ad tantos Franciſci ſplendores viſus hebeſcat, non tamen langueſcet, ſi vim decoris, in quo defigi non poteſt, in maiorem eius gloriam reuerenti admiratione retorqueat. Vt autem eam primum virtutem ſuſpiciam, quæ quò humiliore hic loco deliteſcit, eò in altiſſima coeli ſede patentiùs fulget, tanta fuit in illo nulli pretio æſtimabili viro animi demiſſio, ſuiq; contemptus, vt in huius tantùm partu atque augmento Xaueriana ambitio æſtuaſſe videatur. Hæc ſola illi erat honorum ſumma. Lapſum verò timere quomodò poterat, cui rebus omnibus ſubiecto nihil ſuberat quò cadere poſſet? Solus hic ſtatus ſecurus eſt a ruina. meditaris arces? moliris cognata coelo faſtigia? haud altius vnquàm fodies ad ſtabilitatem fundamentum. Quoniam autem hactenùs a me quamplurima, eaq; illuſtria in hanc rem Franciſci exempla producta ſunt, ſatis, niſi fallor, nunc erit, vt tria capita veluti fontes aperiam, è quibus de hac tanti herois præcelſa, & ſemper ad ima procliui virtute, tota

videtur deriuari poſſe laudatio. Primum eſt illius coeleſtibus donis cumulatiſſimi, humanis inſtructiſſimi virtutibus, ſapientia deniquè ac vitæ ſanctitate clariſſimi, maxima, atquè omnibus numeris abſoluta perfectio. Quis igitur non miretur incredibilem in eo ſui diffidentiam, non ſolùm omnibus in rebus Numinis opē implorantis, verùm etiàm in negotijs aggrediendis aliorum conſilium, in exequendis auxilium diſquirentis? Quis non obſtupeſcat eum de ſe ſenſum, quo, non dico ſuperioribus ſe ſubderet, aut æqualibus nunquam præferret, ſed inferioribus diligenti ſtudio conatuq; ſubijceret? quò ſe orientis ſol, luce, vita gentium, ſpiritu, perfugium omnium, communi conſortio, foecundus æternorum annalium parens vel momentaneæ abortu memoriæ indignum arbitraretur; quo deniquè ſuæ eſſet exiſtimationis adeò infenſus hoſtis, vt quoties aliquid turbidi è delatis officioſa bonorum importunitate honoribus, in eius ore inſediſſet, totum id improborum iacta interdum ſcommata, & cauilli reuecta ſerenitate detergerent. Semper eundem ſpectaſſes inter impiorum opprobria. Contrà verò ſi quis vel tenuiſſimus ad laudem ſuſurrus libaſſet aures, continuò errante virginea in vultu animi proditore purpura, ſingularis modeſtiæ affectus elucebat. Nemo vnquàm ita expalluit ab ignominia, quàm a laude Franciſcus erubuit. Ingens honor eſt, honore non egere. Sed nullus honoratur digniùs, quàm qui refugit honorem quem meretur. Alterum caput eſt, in quo grauiſſimam illam legati Pontificij auctoritatem poteſtatemq; reueremur. Quotus enim quiſque eſt, qui non credat futurum fuiſſe, vt Xauerius tanti muneris, ac perſonæ dignitatem, quà conſpicuo totius oris habitu, quà ſermone non vulgari, quà nobili famulitio, quà cultu ab omnibus debito tueretur? Poterat id quidèm ſuo iure; & aliàs ab alijs pro temporum ratione, locorumq; natura fieri decere non inficior. Verum cum non modò ſui deſpicientiſſimus eſſet, ſed etiàm quòd Chriſtum crucifixum, Iudæis ſcandalum, gentibus ſtultitiam, Dei verò virtutem, ac ſapientiam prouincijs longiſſimè ab Europa diſſitis, adorandum eſſe denunciaret, Apoſtolis, primis Euangelij Eccleſia naſcente præconibus, ſe ſe perſimilem eſſe oportere iudicauit. Voto ſucceſſit euentus. Vera humilitas eius mentis altitudinem æquauit. Huius, inter alias, Apoſtolicæ virtutis perfectam in ſe formam ſemper expreſſit. Summa laudis hac in parte

compre-

comprehenditur. De voce humilitatis non laboro. Chriſtiana ſui depreſſio eam latinis auctoribus vilem, & abiectam collegit appoſitè, & commodè ad ſuum votum. Mens rapuit, quod lingua reſpuerat. Pretioſum illi eſt, quod ſpernitur. Quàm facilis in altum conſcenſus! in decliui eſt. Non mirum ſi ſuperbia ſemper lucem mendicat; cœca eſt. Sacræ litteræ communem generis humani hoſtem, quem ſuperbiæ regem appellant, principem quoquè tenebrarum eſſe teſtantur. Stat honor in ipſomet honoris contemptu quem faſtus execratur. Ambitio inimica ſui eſt: fugit quod proſequitur; auerſatur quod amat; horret quod deperit, infelici labore deſudāte ad rem quam neglectam, ſi vult, tutiſſimè poſſidet. In nihilo abſtruſum eſt, quod nequicquam alibi palpando quærit: totumq; id vltrò ſe prodit, ac prodigit, pro quo illa, ſui carnifex, ſe ſe fruſtrà diſcruciat. Ruat in omnia: congerat in aceruos tumultuariæ gloriæ titulos, honores, coronas, triumphos, ac ſtatuas: iſtam profectò irrequietæ cupiditatis vaſtitatem, ipſa ſola illi adeò inuiſa complere inanitas poteſt. Sed, vt dicebam, etſi vita Xauerij Apoſtolicæ eſſet humilitatis conſpicua imago, nec addere plura neceſſe videatur, cum hæc ſit tantæ virtutis theatrale compendium, vnum tamen eſt quod præterire nec poſſum, nec debeo: nimirum eo progreſſam præcellentiſſimi viri modeſtiam, vt neque ſe vnquam Pontificis maximi legatum eſſe dixerit, neque ſui auctoritatem officij, niſi ſemel, & quidem coactus interpoſuerit. Poteſtatē exercuit virtute, non lingua: lingua tamē æmula virtutis miniſtra, quæ antè animū frangeret, quàm pulſaret auditum. Acta prodiere ſilentio. fuit ſanctitas vitæ forenſibus oculis expoſita pro decretis: digeſſit factorum conſilio leges; promulgauit beneficijs, perſuaſit exemplo. Cum Goam applicuiſſet, haud ſe ſe tanquam ſummi Pontificis legatum in vrbem inuexit: ſed cum tota præfecturæ turba in eum ceſſit quem ſors primum obiecit locum; vndè repentè in publicum hoſpitium pauperum inuolauit; non tamen ad vllam quietem; ne fugacem quidem. Nam fermè profligatis tàm duro ac longo itinere, ac recenti ægritudine viribus, integer ad labores quàm antè maiores, illicò ad Epiſcopum Goanum ſe transfert: eius ad pedes venerabundus accidit: diploma pontificium quo Apoſtolicus legatus in India conſtitutus erat, non ſolū porrigit, verumetiam tradit: ſe non niſi ex eius voluntate eo vſurum pollicetur.

Digitized by Google

pollicetur. Mirari continuò Præſul optimus: procumbentem erigere; complecti humaniſſimè: tum diploma reddere; obteſtari, vt ageret pro ratione ſibi conceſſæ legatariæ poteſtatis. Vidiſſes inter eos gratiſsimum certamen modeſtiæ, atquè obſeruantiæ ſingularis: &, quod caput eſt, ſummam in communis gentium illarum ſalutis procuratione concordiam. Sua cuique ineſt omnibus in rebus ægritudo: iuri verò imperandi maxima. Omnino ſic eſt. Paria capita commiſsis frontibus contrita diſſultant, in populorum vtrinquè fluctuantium diſsidia. At cum alterum in alterius ſui exiſtimationem abijcientis declinationem collabitur, ſe ſe mutuò alleuant ad conſortium pacatiſsimæ poteſtatis. Infelix inſania eſt, atquè irritus labor, adniti ad faſtigium, quod humi ſtratus tenes. Quis timeat illi auctoritati, quæ, vbi ratio id poſtulat, ſubmiſsione aſſurgit, ceſsione ſtabilitur? Xaueriana mês iamdiù celeberrimum huius doctrinæ gymnaſium, alios monitis, ſeipſam factis inſtruxerat. Hunc verò Xauerij cum præſtantiſſimo Præſule congreſſum mutuus, ac perpetuus amor obſignauit. Nulla inſignior inter homines nota. Vtinam illa in Præfecto Malacenſi, qui barbariem ab ijs gentibus Luſitanorum humanitate detractam Luſitanus ipſe induerat, incidi vtcumquè potuiſſet! Ab hoc per id tempus bellum Deo atque hominibus inferebatur atrociſsimum; adeò vt aut exaſperari Franciſci lenitas, aut iuſtitiæ vis lenteſcere cogeretur. Quid hic ageret? Amor menſura doloris eſt. Vt animo mitiſsimo nihil commiſeratione dulcius, ita ſeneritate, quamtumuis debita, nihil acerbius: quo fit vt viro prudentiſsimo excogitandus fuerit in modeſtia modus. Cum itaquè hominem auaritia, & ambitione, gemina mortalium peſte, corruptum lenibus medicamentis ſanare non poſſet, tandem non ſuo, ſed Apoſtolicæ poteſtatis gladio, formidabili videlicet anathemate, illius contumacem audaciam iugulauit. Sic & moderationis æquabilitas, & iuris æquitas ſtetit. aliena ſiquidem ſuprema auctoritate animaduertit in impium, & commotum, quantum diuina cauſa oportuit, animum patientia miſerante temperauit. Hiſtoriam hanc quaſi per tranſennam fugiente oculo reſpexiſſe ſat eſt. Sceleſtus ille dæmonum procurator, qui retento ſpecioſa fraude Pererio ad Sinas proregis Indiæ legato, ſpretoq; ſupremi Eccleſiæ paſtoris legato Xauerio, iam ſpe legationem, vt Xauerius Sinarum ſalutē

deuora-

deuorauerat, vno eodemq; inauditæ perfidiæ tragico actu ſpem vtriuſque, quāquàm longè diuerſam, & Pererio impoſitum onus, totámq; legationem, tam maturo, ac ſalutari conſilio conſtitutam, ſummoq; labore, ac diligentia ornatam prorſus euertit. Attamen Sinis tunc tantùm a Deo ſalus, præfecto verò nequaquam dilata vltio eſt. Sed ad lætiora recurramus. Me ſiquidem tertij capitis altiſsimum quoque culmen deijcere humum oculos iubet. A principibus viris iam indè olim clara propago, a regio ſanguine ductum genus, vulgi vtriquè ora foecundet; impleat diſcurrentium aures, in foro exerceat otia. profectò ſapientum animus antiquam nobilitatem in recenti virtute, lucem in abdito, regiam dignitatem in ſpontanea ſeruili conditione obſtupeſcet. Tùne mihi Xauerium, quod è florentiſsima regū Nauarræorum ſtirpe pulcherrimum germen extiterit, memorabilem cenſes? Quæ noua iſta ſpecies laudationis, ac dicendi materia? Si nullum momentum ad hoc accedat, leuiſsima commendatio. Si eum rectè factis præluxiſſe maioribus affirmes, grauis prædicatio. Verùm a me ab infima ſede, in quam è ſublimi faſtigio ſe ſe deiiexit, hoc potius præconium audietur, nimirum quòd familiæ claritudinem tenebris commendarit, quòd res a parentibus, ac proauis præclare geſtas ſilentio publicarit, quòd obliuionem titulorum, atquè imaginum hæredem reliquerit, (maiora dicam) quòd extremam egeſtatem diuitiarum copiæ, contemptū honori, conuicia laudibus, ſeruitium dominationi, ſolo Chriſti, hominumq; ſalutis amore impellente, prætulerit (tamtumnè?) quod deniquè his peractis, ea vir ſanctitate, ac vitæ innocentia ſe omnium improborum maximum, ac viliſsimum crediderit; hanc ego perfectiſsimæ humilitatis atque omnium oratorum eloquētia efferendæ, primam, mediam, poſtremam gloriam eſſe dico, edico, & conſtanti animo, ac voce pronuncio. Et quiſquam mirabitur quòd vnum vel alterum famulum a prorege Indiæ Sóſa, ſibi retinendæ quoquomodò dignitatis gratia, penè dicam violenter obtruſum inexorabili conſtantia recuſarit, qui, vt ſui exiſtimationem repudiaret, ſe ſe perpetuo omnium famulatui conſecrarit? At enimuerò eo facto, (etſi non ſtudioſè) dignitatem ipſe ſuam exiſtimationemq; auxit, quas, ſi rectè ratiocinamur, ſine dubio aliter minuiſſet. O egregiam laudem, ſcilicet, ſi, qui iampridem ſeruorum ad ſe conuolantiū globos vltrò diſpulerat,

nunc

nunc ad præclara delatæ poteſtatis inſignia, geminum vernulam præferendis faſcibus ambijſſet. Virtuti mutilatæ iniuriam facimus. Delirium eſt, neglecto ſole, faculæ deſiderio emori. Nulla mens eſt in qua ſe commodiùs verſet inſania, quàm illius hominis qui rebus caducis, ac ſpei, quæ omnium poſtrema nos deſerit, nuncio votiua voluntate remiſſo, earum ſubindè ſcruta, quiſquilias, ac ſordes ad ſe reuocat, infami miſeriarum aucupio, ac ſubſannante interitu immortalis boni, pro perituro, irrita permutatione, non reddendi. Fuit illa tamen, quam modò dicebam, inter Soſam, & Xauerium theatro digna contentio: ſed illuſtrioribus factis abducor. Qualia namque (Deus immortalis!) viſa ſunt ſpectacula illa, cùm Apoſtolicus legatus auctoritate, virtutibus, doctrina, nobilitate clariſſimus modò in media nautica turba, modò in publicis hoſpitum diuerſorijs, modò in vrbium valetudinarijs, ſordes verreret, ſterneret lectos, ablueret lintea, officia omnia exhiberet ægrotis, purgamenta exportaret, foueret complexu languentes, moeſtos blando ſolaretur affatu, cùm ſaniem in ſui victoriam ſugeret, lamberet vlcera, & in cruentis plagarum lacunis eius oſcula innatarent. Stupet animus, cum in huiuſcemodi miniſterijs te te, Franciſce, aſſiduè agentem, & ſolicita vexantem hilaritate conſpicio. Et verò etiam cum inter illos infirmorum greges, nihil mea ſit oratione imbecillius (quamquàm virtus quæ te talia operantem non potuit, quem non valentiſſimum laſſaret oratorem?) hactenùs me de te dicentem grauis pudor opprimeret, niſi mihi hæc ipſa tua, de qua diſſero, humilem non aſpernata ſtylum modeſtia ſuffragaretur. Sunt hæc igitur ſummę demiſſionis ſingularia monumenta.

ORATIO XXIII.

Xauerij animi magnitudo, conſtantia, fortitudo, angelica pudicitia, in impuro ſomnio nobilis victoria, in tractandis hominum animis ſingularis prudentia.

SEd admirationem auget, quòd Xauerius ſui contemptum, ac mitis naturæ facilitatem, cum incredibili animi magnitudine, ac robore perpetua quadam cognatione copulauit. Etenim eius inuictæ fortitudini quæ poterit par oratio inueniri? Quibus non ille periculis ad propagandam, ac tuendam Chriſtianam religionem caput obiecit? Quas non oppoſitas Euangelio machinas euertit? quas non difficultates terra mariq; ſuperauit? Et quoniam animoſa, & conſtans malorum pro communi bono tolerantia pars eſt fortitudinis princeps, tot ille incommoda, poenas, ac tormenta in Chriſti gratiam animorumq; adiumenta vbiquè pertulit, vt eius vita ſtadium, circus, atque amphitheatrum patientiæ fuiſſe videatur. Ceteras verò virtutes iam a me ſuprà expoſitas, quorſum iterum producam? At producantur ſanè dummodò, veluti præteritæ per tot exercitationes pompæ imago quædam memoriam præteruolent. Eadem frequenter iterata narratio, plerumquè aſtus aduocati verſura, non facultatis inopiam in rebus exornandis, ſed verba in referendis exercet. Nihil igitur dicatur ampliùs de adeò exquiſitis in ſuo corpore diuexando inuentis, vt neſcias an in alios humanior fuerit, an in ſeipſum crudelior, quodq; maius fide videtur, ijs ipſis temporibus, quibus cum tot gentes, ac tam ampla regna eius curæ credita, Chriſto domino ſalutis noſtræ auctori generanda eſſent, ſola tantorum laborum mole opprimi, ſine Numinis peculiari ſuſtentatione, potuiſſet. At hoc vnum inter hæc deerat, ſcilicet, vt implacabili ardentes odio inferorum legiones in virum innocentiſſimum æquè ac fortiſsimum rabiem euomerent, ſemel virgis, baculiſq;

Digitized by Google

contuſum propè ad necem confecerunt? Sed in veſtri capitis ruinam furorem, ò carnifices, armauiſtis. Quid? illène, qui tot mortibus obiecit pectora, nunc præ timore veſtris ſubtraheret terga verberibus? Quàm miſerum eſt obſeſſa nequicquàm inuicti hoſtis gloria, de ſuo dedecore triumphare. Perge porrò. non eſt etiam quòd iterum Xauerij comitatem, morum ſuauitatem, facilitatemq; repræſentem. neque quòd ſereniſſimæ frontis coelum, quòd oculos, pudicitiæ ſidera, quòd vultum, domicilium verecundiæ, quòd verborum mella, facundiæ laqueos, blandæ grauitatis veneranda delinimenta rurſus producam in medium. Cui verò non perſpecta ſemper fuit eius in dictis conſtantia, cui non fides in promiſſis? niſi fortè hæc non ſtetiſſe dicatur, quòd ille præſtaret multò plura, quàm promiſiſſet. nec immeritò ſanè. Cum enim tùm ſolùm beneficio ſe affici crederet, cùm in alios contuliſſet, ſpargebat beneficia, quibus foeneratrix virtus ſe redderet commendabili fraude ditiorem. Præterea quorſum eius, non dico in victu parſimoniam, multoq; minùs frugalitatem, ſed quotidiana, ſed triduana, & quidem arctiſsima ieiunia, quibus ipſe ſibi epulum præbebat, mea remandat oratio? Inediæ verò comes ſomni breuitas fuit; cui cum non vacaret, ſed ſuccumberet, beatas mentes non natura, ſed virtute ſuperabat. Et quiſquam mirabitur quòd in corpore modis omnibus excruciato, quidquid foedæ voluptatis ſenſum illicere poſſet occiderit? Quid illo continentius? quid caſtius? quid purius? Si de illius pudicitia verba facere audeam, vereor ne illibati floris candorem vel ſolo ſpiritu infuſcem. tanto ſiquidem ſtudio in omni vita, quam ſibi horridam hyemem eſſe voluit, virgineis niuibus excubiaſ egit, vt ad ver æternæ felicitatis coeleſti aſpirante fauonio, animam ex intacto corpore victricem liber efflauerit. cumq; illius cura eſſet fabuloſo dracone hortorum Heſperidum cuſtode vigilantior, nullum ſuberat periculum ne tartareus Hercules è multò amoeniore caſtitatis pratulo, aſperrimis præſertim munimentis obſito, fructum vllum poſſet euellere. Quoties autem poſt vigilias in tempus immiſericors protractas labentes oculos Franciſcus ſuſtinere non poſſet, ſtans animus inſidiarum explorator non conniuebat. Haud ſcio an id quod referam in vllas vnquàm ſanctiſsimorum virorum hiſtorias iuerit. veritas miraculum facti ſuperat. Ergò cum aliquandò per quietem, cuiuſdam fortè im-

puræ imaginis vmbra ſeſū interiorē importunè verberaret, adeò expauit, atquè cohorruit, vt conuulſis violenta animi agitatione præcordijs, ſanguinem in caput legauerit, foraſq; miſerit obſidem vitæ, niſi hoſtis illicò victus abſcederet, profundendæ. Prò ſuperi! etiàmne a dormientibus tàm graue atque atrox indicitur ſomnijs bellum? etiàmne dimicatur in laruas? ergone victoriæ ſurgunt è ſtratis? ergòne in triumphis ducuntur cubilia? ſuàne quoquè corona in tuis ſuperbit ſomne temporibus? Ah ne tali ſopori vigiliæ inuideant! ah ne currant illi prouehendo papauera! Alij flammis, alij glacie, alij ſpinis, alij fuſtibus, aut alio accito forinſecùs auxiliorum genere, obſcoenos ignes, oppidò veros, extinxiſſe memorantur. at Xauerius vel pictos tantum, ſe ſolo ſui defenſor, inter inermes videlicet ſomnos, ac ſenſuum nuditates generoſo cruore deleuit. E naribus tamen egeſto, vt Vulcanum illum ſtygium, è coelo quondam præcipitatum ignominioſè fugaret. quamquam o indignam tali aſpergine fuliginem! quàm meliùs hic ſuccus amica pudoris virginum ora tinxiſſet! ad tàm pretioſi liquoris coniugium diducto ſinu anhelantes, acrium amatorum inſtar, importunæ fuiſſent tuis mare Tyrium conchæ littoribus: dediſſent pro dote natiuo humori repudium. Caſtas itaquè Franciſcus in iras exarſit. Quos non ille cruciatus vigil pertuliſſet, quem ſomnus, ferè dixerim, martyrem fecit? Diurni quidem labores a nocturna quiete plerumq; reuocantur. Rapitur animus ad theatra ſomniorum, ludentibus tenebris de mortali luce. nequè ſolum commentaria rerum a ſe geſtarum a ſomno edita legit, verumetiam, conceſsis quidem inducijs, ſed ſoporatis, in acta ipſa reuoluitur. Ruit in mentitum hoſtem miles, & qualia infert, excipit vulnera. & (vt eſt etiam in ſomno vigil ſuperbia) ſe ſe frequentiùs victorem iactat ſtatarius in acie cubiculari. Quod ſi fortè interdum ſibi videatur vinci, ac trucidari, territa repentè natura euigilat, ſuo ipſa opem latura terrori, ne vera mors ſimulatæ fidem aſtruat, pereatq; glorioſus miles, non ferro, ſed ſomnio. Verùm iſta ſunt erratica ludibria, nugæq; ſinceræ. Ille ſibi gratulatur excitus, quod non in feretro, ſed lecto iacentem ſe ſentiat. animaduertit gladium, quem noctu feriari pudebat, vagina nō ereptum, è caſtris excurriſſe in campos inanes, ſauciaſſe auras, ac tandem ex vmbrarum ſanguine temulentum, & languidum relapſum in puluinar. At

verò non fuit profectò, non fuit iſtiuſmodi Xauerij ſomniū. Foedum enim inprimis lenocinium illud quod in dormiente obſeratas virginei ſenſus fores percuſſerat, nunquam ſe ſe animo vigilantis obtulerat. Deinde non illuſus contentionis imagine, ſed ad certum bellū prouocatus, acerrimè dimicauit. Denique expergefactus, non oſcitatione, ſed ſuſpirijs, non fricata fronte, ſed abſterſo triumphali cruore, impoſuit inſolenti prælio finem. Niueum eius corporis lilium, quod tyrannica manu rubere non potuit, officioſo liquore purpurauit. Illud a te Franciſce ſatum, a te rigatum. Nihil tibi ad martyrium pro virginitate ſubeundum defuit, præter alienæ impietatis ferrum. quamquam eius acies clauſos decumbentis oculos reuerita, ſplendere auſa non eſſet. erubuiſſet ſuo pudore perfuſa, non ſanguine tuo. O quanta vis in amore caſtitatis! Ab hoſtibus Eccleſiæ Chriſti martyres non niſi vigiles ad ſupplicia rapiuntur. tu ne dormienti quidem tibi pepercisti: Inter hæc cor, diuinorum ignium officina, nocturnis ſiderum ſpectantibus choris, æſtuabat miniſtrandæ ſubindè armorum copiæ. ſed illa longiori tum vſui eſſe non poterant. vſquè adeò namquè a primis annis, hoſtem fregeras, vt vires interdum redintegrare auſum momento concideres. ac tandèm cum te rebus ipſis, quarum ſenſu carebas, vellicare non poſſet, nocturno earum idolo irritaret; quemq; apertus hoſtis vigilantem refugeret, ad dormientem tenebricoſus latro tentaret acceſſum. (quàm non difficile eſt inuido inſanire! etiam in ſomnum alienum furit.) Sta ſol contra Gabaon, aiebat olim & dux, & iudex quidam Hebræorum præſtantiſsimus, diuturniorem lucis vſuram contrà Dei aduerſarios implorans. Ego verò iam dixerim, rue ſol, ilicet, præceps in occaſum. non minùs fortiter de nocte contra hoſtes, tametſi tenebrarum principes, quàm contrà eorumdē meridianos incurſus Xaueriana virtus inuicta decertat. Dato, videlicet, Xauerius è mentis ſpecula ſigno, vt potè fumigantem aggreſſorem odoratus; curuato confeſtim in arcum pectore, tanto niſu venam, inſtar nerui pro natura reluctantis intendit, vt diſrupta animoſum cruorem excuſſerit. Ille non alia potentiore ſagitta grauidus, hoc ipſo quod ſibimet inflixit vulnere ſuperbum bellatorem interemit. Periculoſius eſt contra eum præliari, qui non minùs ſui, quam aliorum ſit hoſtis. Quid enim ſperet hoſtis ex hoſte illo, a quo ſeu læſo, ſeu lædente profligatur?

Digitized by Google

gatur? Pugnent alij iacto in aduerſarium telo: hic in ſe conuerſo dimicauit. Incidant illi artificum manu muto in marmore partas a ſe victorias: hic vocales ſuorum triumphorum in ſeipſo inſcripſit notas. Pectus membrana fuit; ſanguis atramentum; calamus gratia Deo habita. Amor hoc characteris genere delectatur. hunc probè legit, quamuis caecus eſſe dicatur. Decurrite ex illa vena virginei rores, adoleſcentibus ad pudicitiæ pulcherrima germina foecundandis. Veſtra vi nutriantur illi, & creſcant non minùs conſtanti quàm odorata conſpiratione animati, ac certi veſtri Xauerij exemplo antè vitam expuere, quàm vllius vel tenuiſſimæ labis vmbram admittere. Iam verò ſi me alij virtutum chori circumſiſtant, illæ aut fruſtrà diſtrahent animum meum confuſo raptu, aut in agmen citatum emiſſæ, altera alteram præ multitudine me dicente propellet. adeò vt cum ſecula profundantur in earum laudes, nulla videatur ſibi poſſe vel temporis morulam ſiſtere. Conueniant igitur potiùs natiuo inceſſu in tranquillam concionem audiendis eloquentiæ principibus, vt & meæ imbecillitati conſulant, & dignitati ſuæ. Mihi tamen fas ſit geminam adhuc tàm egregij herois dotem inter illas gradientem ſalutare: prudentiam nimirum, virtutum moderatricem, & earum reginam Theologicam caritatem. De prudentia id ſolum depromam quod in illo ſingulare fuit. Ergo cum & aliorum vitæ viueret, & alij ex eius anima ſpiritum ducerent, primum ingenij acerrimi ſtudium eò conferebat, vt etſi ſecum ſemper eſſet, tamen ſubindè in aliena caſtra tranſcurreret, vt explorata ſingulorum hominum natura, & compoſitis (citrà noxã) ad eorum voluntatem moribus ſuis, omnium ſe ſe dominum ſalutari ſtratagemate redderet. Vitam communi meliorem ſibi agendam intelligebat, ſed non cõtrariam; ne a ſe auerteret, quos attrahere nitebatur. & cum intùs longè diuerſa haberet omnia, facies decenter conueniebat cæteris, ne frontis nubecula procellas, quas in aliorum animis ſedandas ſuſceperat, excitaret. Qua ex re conſequebatur, vt cum omnibus omnia fieret, omnes haberet factos ad omnia. Vmbratili alienæ propenſionis ſpecie ſibi prætenta, atque honeſtiſſimæ conſuetudinis blandimento è ſingulis ſemper eduxit quidquid noxium, ac peſtilens includeretur. neque quidquam tàm altè, ac firmiter hæſit, quod non dulci amoris violentiæ admixta prudentia radicitus extirparit. Eadem

pruden-

prudentiæ laude flagitia publica,præſertim vero inimicitiarum, ac libidinum flammas non oppreſſit modò, verumetiam prorſus extinxit. Factis quæ palàm ſunt,nulla certior probatio. Adducerem illa pro teſtibus, niſi paginæ hiſtoriarum huiuſmodi graues exemplis,fide facta, ſe ſe in obuijs manibus exonerarent ad legentium fructum. Ophiogenes in Helleſponto manus contactu venena depuliſſe, Pſylli gens Libyæ, quibus virus ingenitum, ſerpentibus exitio fuiſſe memorantur: eoſdemq; non ſolum halitu necaſſe, verumetiam vibratum morſibus in hominum corpora toxicum ore ipſo elicuiſſe,omni amoto vtrinquè periculo. A Catone olim per Africæ deſerta peregrinante in hunc vſum ad comitatum adſciti ſunt. Ergòne natura cuiuſpiam hominis, veneni vſu in ſeipſam verſo, alteri ad interitum venenato curationem afferat; virtus verò nō poſſit alieno quo, non culpæ,ſed commiſerationis affectu ægram ſe facit, mederi malo? Hebræorum greges in ſolitudine Moſi quondam oblatrantes, igneis icti ſerpentibus,conſpecto,non ſerpente,ſed appenſo Dei iuſſu ſerpentis æneo ſimulachro ſanabantur. Quis neſciat hanc fuiſſe Chriſti è cruce pendentis effigiem? O ingenioſæ portentum caritatis! Deum ipſum,non dico de ſui hoſtis exuuijs trophæum ſibi erigere, ſed ſe ſpolio illius obtegere, vt ſub imagine feliciter eludenti,ſui cruoris vitali pharmaco in nos perplueret, quos ille coluber vera fraude concretus, eſcæ puerilis faſcinatione ad ſe allectos mortiferè corrupiſſet. A Chriſto igitur vno, ac ſummo magiſtro,è crucis ſuggeſtu docente,Xauerius hanc hauſit ſapientiam, naturalemq; prudentiam diuina perfecit. Alienæ conditionis atquè ingenij ſpecie indutus, inueteratis alios vitijs exuit. Bona plerûmquè in ſe obuoluta condebat, vt improborum mala opportunè, ac ſenſim excluderet.

ORATIO XXIV.

Xauerij admiranda in Deum atque homines Caritas, ac felix ex hac vita diſceſſus.

SEd vt virtutem aliarum vitam, ac formam, nobilitate primam, homini perficiundo ſummam, neceſſitate maximam, in Franciſco autèm præter cæteras admirandam, non tàm ſermone officio impari, ac ſilentij æmulo, quàm cultu pro viribus trepido, ſed pro pietate animoſo proſequamur; cum in omnibus negotijs, potiſſimum verò in rerum diuinarum adminiſtratione, prudentia eam in animo ſibi ſedem vendicet, quam eſſe oportet virtutum moderatrici conſtitutam, tamen eius erit inanime magiſterium ac ſpecies vana dignitatis; niſi animæ facultates ſuperiore vi caritatis moueantur ad munia, & ad ſuos quæquæ fines imperatorio amoris impetu perducantur. Nullus eſt a fulgetro, ſed a fulmine ictus. Quid ſolis luce pulchrius? quid iucundius? niſi tamen excito inde ardore, quæ vegetant, quæ ſentiunt, quæquè a natura quoquomodo funduntur incaleſcant, profectò nec gigni, nec adoleſcere, imo nec concipi, nedùm matureſcere poterunt. atquè adeò nulla erit inter lucem, ac tenebras dirimenda contentio, cùm tàm non proſit illa, quàm iſtæ non obſunt. niſi quod quæ coeli clauduntur ambitu, nullam in tenebras habitura quæſtionem, ſe ſe proditorij luminis decoro perculſu perijſſe profitebuntur. Itaquè fucum non faciet caligo, ſed ſplendor. Age igitur. vndenam tot, tam varia, tàmq; præclara facinora, niſi ab illa Xauerij, præuia luce diuina illuſtrati, caritate, incendiorum fonte, manarunt? In hoc infinita hominum multitudo extinctas, tua Franciſce opera, libidinum malarumq; cupidinum faces Deo dignis accendit amoribus. His flammis Europæ, Africæ, atque Aſiæ arſere prouinciæ. Quæ non præcordia efferbuere, cum per eas, quibus antè contra Deum ipſum armabantur ſilices fecerunt lacrimarum torrentibus viam? Quæ non tellus his ignibus, quæ non maria æſtuarunt? quæ non indè non dico ab illis ſperata gentibus, ſed ne cogitata quidem, ea rerum nouitate

eſt

eſt exorta felicitas? Subiecto videbantur aculeo moleſtè pungi, niſi tot annorum tenebris, hyemi, ac ſterilitati gratularentur, quas tanta lux, atquè æſtus, tantaq; bonorum copia excepiſſet; adeò vt præſentia voluptatis non ſolùm mæſtitiæ præteritæ cauſam, verumetiam ſenſum memoriamq; deleret. niſi tamen quantum recordationis ad beneficij recognitionem gratus animus extare putaret oportere. Nihil enim tàm fragile, ac fluxile, quàm beneficij accepti memoria, cum illud magnitudine ſua ita occupat atque abſorbet animum; vt cum è gurgite malorum enatauerit, poſteà obrutus bonis, non mirum ſit quòd aliorum non meminerit, qui fermè oblitus eſt ſui. Sed vt ad te, Xaueri, redeam, quas non in oras tua te rapuit, ac circumtulit caritas? quibus non verſauit in pœnis? Quid cum te in Iaponia ſeruilem peditem equiti Iaponenſi, nulla præter laborem pacta mercede, locauiſti, vt promulgator Euangelij viarum ignarus, illo præeunte rectum iter teneres? Suas ille res agebat; tu diuinas. non te ducebat, ſed raptabat. diſcebas iter, non eius beneficio, ſed tuo ſeruitio. Ille tui contemptor, ignaram tuæ mentis, & conſilij opem proijciebat: tu eius cultor obſeruatam colligebas: ne ille ſuis eſſet in negotijs diligentior, quàm tuus ergà Deum amor in alienis. Ille quidquid poſſet obſequij rapiebat ex te: tu barbaro gratiam etiam referendam arbitrabaris, quòd eius inhumanitas tuæ cupiditati gratificaretur. Amorem viæ ducem habuiſti, non hominem. ille ſibi tantum, amor tibi vacabat: barbari tamen veſtigia omnia furabaris, vt hoc offerres amori donum, quòd te identidem deficientem ſuſtineret, cuius vires herus ille tuus feſtinatione, ah! nimium violenta, enecabat. Immanem dicerem dominum, niſi vererer cum tua patientia iurgium, nihil eſt tuæ modeſtiæ inſolentius, quàm indignari. At etiàmne tua virtus vſquè eò ambitioſa fuit, vt vellet cum belluis de curſu cõtendere? Tu equum domini æmulabaris. ſed cum ille ſeſſoris calcaribus foderetur, tu amori obſequentior, eius tantum ſtimuli monitu conſequereris, nunquàm præcurrentem vidiſſes, niſi te coegiſſet via tibi prorſus ignota eſſe retrogradum. Iniuriam amori fecerũt, qui finxere pennatum. quaſi verò egeat alis. Deus immortalis! quid amore pernicius? Ament ſaxa, & volabunt. Impingatur quodlibet onus amantis humero. ſe ſe leuior efferet. ſtruatur in eo moles. illa erit eius robori tanquàm pueris pila

lapſus ad Indum. Aſpice ſuo Franciſcum onuſtum theſauro, ſacra nimirum ſupellectile ad ſacrificium neceſſaria; & tamen, non dico properantem, ſed poſt præcipitem illum pegaſum adeò effusè ruentem, vt non ſolum a ſignato veſtigio nę latam quidem vngulam deflecteret, ſed pede pedem premere videretur. Maximi quondam Patriarchæ filius, non minùs paternæ obedientiæ, quàm naturæ imago, ignem, ligna, ſeq; ipſum victimam geſtabat ignarus ad holocauſtum. Mactata eſt vtriuſq; voluntas, neutrius vita. Non caput filij a parente, ſed ſuum a Deo ſectum imperium. Fecere vicario ariete inter ſpinas hærente; currentibus interea in tempora hoſtiae non immolatæ floribus, vt victuræ frontem ornarent, quam paulò antè morti deuotæ non cinxiſſent. Xauerius quidem illarum gentium parens, ac ſanctitatis eximiæ ſacerdos, quoties, & vbicumquè ſacris operari poſſet, incruento ſacrificio Deo Patri Deum filium offerebat. Verùm adeò ſuus illum erga Deum amor per connexos aſperrimis itineribus dies exercebat, vt cum magnitudine cruciatuum tentaret quas ei dabat vires, ipſe quoquè iugiter in ſui corporis ara Numini viua morte litaret. Eius enim mors ob id ſolùm viuebat, vt ſemper vita moreretur. Nam cuius hominis tanta eſt feritas, ac durities, qui ſiccis oculis, qui animo non vehementer commoto intueri poſſit legatum Apoſtolicum, domi iampridem delicatè, ne dicam molliter, educatum; nũc pannoſum, lacerum, ieiunijs exeſum, attritis viribus exanguem, lunatis ad collum ſacro iugatum onere brachijs, rapidiſſimo curſu, præuolanti equo ſemper hærentem, nę barbara illa cynoſura ſe ſe ab eius oculis vnquàm eriperet? Quod ſi alicubi aut temporis, aut loci natura impetum iumenti frangeret, curſumq; moderaretur, tùm verò tarditate in augmentum cruciatus conuerſa, vidiſſes ſtrenuum peditem modò hic inter ſalebras, ac rupea ſaxa ſpinaſq; corpus exanime lacerantem; modò illic ſumma hyeme atque inſanis frigoribus, in gelu nouaculis armato nudos pedes lanienam trahentes. O quale famelico pabulum! Vidiſſes in niuium tumulis cruore conſperſis, niſi amor extuliſſet, propè ſepultum. O lanæ coeleſtes nunquàm in eas terras fortunatiùs deuolutæ, quibus oſtro tam pretioſo rubeſcere contigit! tametſi non fouendis algentibus Franciſci artubus. Dormiant ebriæ oues in Tyrio ſucco, ad ſuperba regum paludamenta texendæ, nunquàm ſurgent per

corum

eorum humeros magnificentiùs aura circumflua ventil andæ. Itaquè per ſanguineos niuium tramites in maximas Iaponiæ vrbes penetrauit. Extarent adhuc cruenta veſtigia, ſi aereum illud vellus duruiſſet in marmor, quamquàm ſanè nullus eſt lapis, aut æs, quod vetuſtas rerum domitrix non conſumat. Iſta illa Xauerij acta ſocij poſteri mentibus animiſq mandarunt. ſunt hæc immortalia monumenta. Iam ijs in locis impiorum gladijs iugulum prodigunt; vt cum excitis, ac reſilientibus humo Xaueriani ſanguinis riuis ſuperfuſus largiter eorum cruor beatiſſimæ cauſæ conſortio confluat. His amorum tuorum, Franciſce, armis Iapones, aliaſq; barbaras gentes coelo feliciſſimè ſubegiſti. Hæc te caritas grauiſſimis terra mariq; periculis ſemper exercuit. Hæc vbiquè mortem tuæ vitæ fidelem comitem iunxit: & quidem pari erga omnes beneficio; etiamſi, vt potè ex vno illius partu geminæ ſorores, præ nimia ſimilitudine ambiguæ, intuentium oculos mendaces efficerent. Hæc illa fuit, quæ te aliquandò nauigio annoſo, debili, & malè compacto, aliorum aut penuria, aut repulſa, impoſuit. Amor tunc Nauarchus, remi alacritas, ſpes vela, gubernaculum virtus, vigilantia quies, rimoſæ tabulæ firma in Deum fiducia fuit. Vatem olim imperatam ſibi à Deo profectionem in Niniuitas detrectantem, ſortis iactu, irato mari placando, in vndas proiectum immanis cetus deuorauit. O, ſi fas eſt dicere, impatientem moræ Dei optimi maximi ergà homines quamtumuis impios miſericordiam! nullus vnquàm celox ſummo mari tàm properè virum illum profugum in Niniuen tranſmiſiſſet, quàm bellua intra profundos gurgites vexit. Tertia lux aluo eructatum in auras reduxit. Non alius eſſe poterat è tali conceptu partus. at te, Franciſce, non refugum, quaſcumq; in oras vocaret Deus, amor ſuo conditum ſinu, omni lembo velocior, omni vento potentior tulit. nec futurum fuit vt ſe, ſe tibi ad exitum laxaret. tu non alibi niſi in eius, quod te genuit, gremio nactus es ſepulturam. Hic ille amor fuit, qui tibi innumerabiles homines vitali lauacro totis interdum diebus abluenti, labantia laſſitudine brachia fulciebat; cum aliquot centena hominum millia tua ipſe manu ſacro illo fonte luſtraueris. Maximi quondàm Hebræorum legiſlatoris, ſenio preſſi, pro ſuo populo bellante Numen enixè deprecantis ſupinas erectaſq; in coelum deciduas manus duo ex primoribus religioſi uiri hinc indè ſuſti-

nebant. tu valentiore adminiculo nitebaris. Illi laſſeſcere poterant. operoſi verò tui amoris vires exercitæ roborabantur. Sed quid ego nunc aliqua è tuis actis in illam tàm inſignem ergà Deum caritatem referenda eſſe contendo? cùm ſi vnius vocis compendio dicamus omnia, augeatur tantae virtutis gloria, & nimis laborioſa huius orationis meæ continuatio minuatur. Nūc igitur (quod reliquum eſt) vtinam mihi ad tuos illos ſecretiores, & arcanos amores aditum dares! Mea me (vt ſentio) arcet indignitas. Habent alij qui de tuis hauſere incendijs quid effari poſſint. In me, velut intra mortuos cineres tepentis foci, ſi qua viuit fauilla languëſcit. Narrent illi templa totas noctes tuarum precum fumantia odoramentis, ſtagnantibus interea per pauimenta lacrymarum fluminibus. Dicant frequentes in Deum mentis exceſſus. Mirentur cùm circa te aut concionantem, aut animorum ſaluti varijs miniſterijs operam nauantem, populorū greges fluctuarent, adeò à rerum coeleſtium contemplatione non auulſum, vt tua natura ſuperior, beatis illis mentibus cognatus eſſe viderere, quas ſingulorum hominum commiſſa tutela ne puncto quidem temporis à feliciſſimo Dei aſpectu auocare poteſt. Memorent ſolicitis arietatum votis coelum. regnum quippè illud patitur vim, & à violentis rapitur. O quoties tuis mixti ſuſpirijs ſalubriores flauere venti! O quoties tuis flammis in altum iactis, coerciti nubibus ignes mitius fremuere! O quoties mutæ ſolitudines, tui amoris conſciæ, pias deſideriorum querimonias reddere didicerunt! Referant illi ijdem in inſula Maurica, ærumnarum omnium, malorumq; colluuie, tantos coeleſtium voluptatum fluctus in te tumuiſſe, vt effractis animi clauſtris in oculos periculo coecitatis erumperent. Regionem illam amor parens inter profuſa gaudia luminum nouercam eſſe cogebat. Rerum tantùm humanarum amatoribus hoc genus lacrymarum ignotum eſt. Iam verò quid illud? quàm memorabile! quàm celebri præconio poſteritati mandandum! quod nimirùm Goæ in hortis domeſticis tuum Xaueri pectus diuinarum deliciarum incredibilem copiam capere cum non poſſet, diſruptum foret, niſi vis atquè impetus interior, facta ſibi ſurſùm libera per os anhelantis via, in hos euaſiſſet ſonos, *ſatis eſt Domine, ſatis*. In hæc te verba ardenti vultu, ac vibratis in coelum oculis ſæpè prorumpentem, auriti viri, quos remotos credebas arbitros, audierunt.

audierunt, has voces piſcati ſunt, margaritis oræ piſcariæ præferelidas. Ain tu, Franciſce, *ſatis*? Meminiſtine cum Romæ in quodam valetudinario, cui tu, vt aliàs alibi, Chriſti cauſa ſeruiebas, Deus tibi per ſomnium non ſemel oſtenderet, quanta te oporteret pro ſuo nomine pati, hanc voculam ærumnarum inſatiabilem, pro reſponſo abs te datam? *Plura*, Domine, *Plura*. & quidem audiente Simone Roderico contubernali, cui tu poſteà efflagitanti rem totam aperuiſti. Quaſi diceres, non ſatis hæc, Domine, non ſatis. Quid ais Heros magnanime? Non ſatis, igitur erit, cum in Luſitania in tuenda atque augenda religione, ac pietate Apoſtolorum vitam, ac mores ità exprimes, vt te, ac noſtros homines, Luſitani ad hæc vſquè tempora, non ſine maximo minimæ Societatis noſtræ rubore Apoſtolos nominent? Non ſatis erit, cum te immenſa æquè, ac duriſſima terra mariq; itinera diuexabunt? Non ſatis, cùm mare, venti, procellæ, ſcopuli, ac ſyrtes naufragia molientur, cum terreſtri itinere per inuias rupes atquè horridas regionum plagas tractum linquente ſpiritu corpus cruentabis, vt propagatis periculis ſemper periſſe videaris, modò errantium tot nationum gregibus iter ad coelum aperias? Quid cum in noſocomijs te ſponte in peſtilentes pauperum tabidorum lectos transferes, eo illis, in quem te ſors iecerit, commodiore conceſſo, vt tuæ caritatis ſalutari contagione luem ex eorum animis corporibuſq; depellas? Quid cum in nauibus prætorianis, vt alios Chriſti legibus adſtringas, te ipſe abiectiſſimo cuique ſeruitio nulla exiſtimationis, ac dignitatis tuæ ratione habita mancipabis? Quid cùm te barbari, nihil aliud præter ſcelus, ac cædem anhelantes, non ſolùm ludibrio habitum, & exoſum conuicijs omnibus contumelijſq; proſcindent, verùmetiam in tuum exitium impotenti furore armabuntur, ſi fortè queant aut te ſuperare ſuperba cum laude, aut abs te vinci, non ſine grauiſſima tua pernicie poſſint: cùm præterea contrà Idolorum ſacrificulos, quo nullum flagitioſius hominum genus, imò verò cōtra inſtructiſſimas vi & dolis dæmonum copias in te ruentes ſolis curarum laborumq; legionibus præliaberis, vt ſtulta barbaries plus in Chriſtianæ religionis defenſione potentiæ, quàm in hoſtium omnium oppugnatione roboris ineſſe intelligat? Hæccine tibi & pauca & leuia videntur? An non etiam ſatis erit, quando in Indis ac Iaponenſibus ab inueterata, teterrimaq; mentitorum

numinum

numinum ſuperſtitione abſtrahendis, ac liberandis, te ipſe, mixto ſanguine, & lacrymis continuo ſudore, conficies? At quàm intoleranda erit illa calamitas, cum in regnum Sinarum penetrare non poteris! Nonne per idem ſomnium præuides quid ſit præfectus ille Malacenſium, illa peninſulæ peſtis, illud ornatæ ad Sinas legationis buſtum ſcelerata in Deum hominesq; iniuria patraturus? quamquàm enim alio ineundæ modo profectionis tuæ, ac tentandi ad gentem aditus decretum illo legationis incendio non deflagrabit, tamen fateberis nihil in vita tibi vnquàm grauius atquè acerbius accidere potuiſſe. O quàm ardentes ſunt inuidiæ faces, quandoquidem tu, tot prouinciarum domitor, eas minimè poteris in illo ſuperbo diuini honoris latrone reſtinguere! Parumne quoquè eſſe arbitraris, cum te toto decennio fames, ſitis, æſtus, frigora, nuditas, paupertas, angores, ægritudines, aliæq; id genus malorum cohortes in te aſſiduè conſpirabunt? Sed ne verborum curſus, tametſi magnanimi amoris tui patientiæ, ac fortitudini ſemper impar, in infinitum abeat, totus vno ſummatim truncandus eſt dicto. Quidquid nimirum viua mortalitas quauis morte atrocius pati poteſt, id tum Deus illis ſomnijs obiecit tibi, ac vaticinatus eſt perferendum. Quid ais Franciſce? An ne id quidem ſatis? O acerbitatum helluo, o prædo cruciatuum, o rapax gurges naufragæ cuiuſcumque præclaræ ad tormenta ſupellectilis! Itaquè *ſatis Domine, ſatis eſt* deliciarum, inquis, dolorum non *ſatis*. Horum videlicet fames, ac ſitis vrgebat te: illarum verò deſiderio minimè tenebaris. At mea me fallit ſententia. cum enim ſua quemque trahat voluptas, conſequens eſt, vt dolores ſint tuæ deliciæ. dum igitur hos à Deo poſtulas, delicias poſcis. quare non dolorum tantùm, ſed etiam voluptatum incrementa deſideras. Da veniam, Xaueri, tuus erga Deũ amor ambiguam in me parit audaciam. Nec mirum ſanè, cum quò te ipſe vertas non planè intelligam. Quid enim tuum iſtud, *ſatis eſt*, &, *non ſatis*? reſpuis quod ſorbere aues. Si te nimia dulcedine perfundi quereris, quid acerbitatis augmentum expetis, quam ſcis ſummam tuam eſſe dulcedinem? Perpluit in te delicijs? Suſpiras, & ais, claude coelum, Domine, increpa prodigas nubes. Reſerantur fontes ærumnarum? inclamas, auari ſunt. pande oſtia, Chriſte, torrentibus. at dolores tua ſunt gaudia,

gaudia, hæc igitur te penitùs obruent, illi verò te tantùm imbuent. Quid hic ages? At ſi fortè vtraque te delectant, enimuerò excluſis omnibus malis congeminaſti felicitatem, & excidis voto. Quid enim pateris? quid moleſtum illi eſſe poteſt, cui nihil eſt moleſtia ipſa iucundius? iucunditas autem ea fruenti moleſta eſſe non poteſt. In euripo fluctuat aut tua virtus, aut mea ſtultitia. Neutra profectò. Conſultiùs quippè loquar; ne quam ex me admiratio temeritatem trahat. Nihil enim eſt in tuis arcanis perplexi; neque in hac mea pia perueſtigatione leuitatis. Sunt igitur ea quæ curſim recenſui, ſunt, inquàm, Franciſce Xaueri, tui amoris miracula. Non enim in tua virtute aut ratio leges, aut ſuas vires natura mutauit. Non voluptas doloris, neque dolor voluptatis tibi ſenſum eripuit. Nullus in tua mente ſtupor; nullus torpor in corpore. Quod cum ita ſit, vnum tamen ex te ſcire velim, ſi rerum oblectantium pondus, quod ſatis eſſe dicis, ferendo non eras, quomodo tantam moleſtiarum molem, quam ſatis non eſſe cenſebas, ſuſtinere potuiſti? O vim incredibilem caritatis, quæ ſummi Chriſti amatoris, ac gentium Doctoris voces ad te rapuit. (cum infirmor, inquit, fortior fio.) Quod ſi hac fortitudinis fiducia, diuinæ dexteræ, ſolatia ſemper ingerentis, obniti quodammodo voles, dirutum robur in eiuſdem Apoſtoli verba diſſiliet. (Superabundo gaudio in omni tribulatione) Sic ingentia flumina oppoſitis aggerum coercita munimentis turgeſcunt adeò, & exundant, vt obicibus euictis, ac disiectis, illatam ſibi violentiam vaſtis in circumiacentes campos eluuionibus vindicent. Sæpè viſus es, Franciſce, dulcia cum amaris in certamen committere: non ſecus ac ſi his illa inuiderent. Hæc in te ſola diſcordia fuit. Nihil proficis. Læta & triſtia te ſemper comitabuntur. Suus tamen his definitus eſt terminus: illis verò laxanda æternitas. Perge, tende, curre, ſuccede in portum Sinarum. Ibi actuum omnium tuæ ſpectatiſſimæ vitæ parata cataſtrophe. Ergò huc tandem aliquandò perueniſti. Vtinam ſic illius regni obfirmata in nationes externas clauſtra perrumpere, pro animi cupiditate, potuiſſes! Audi iam tibi ex alto placidè ſic loquentem opinor, Deum, *ſatis eſt*, Franciſce, cruciatuum; voluptatum *non ſatis*. Iam miſeriarum finis, & felicitatis initium. Iam tuæ mortis interitus, & vitæ vita. Ego verò ſi tantum facultatis ad dicendum afferre poſſem, quantum

tum

tum in hoc tuo ex iſta mortalitate diſceſſu virtutis eluxit, non tibi gemitu, quo te honorari vetas, ſed ea, quæ tuis meritis debetur, oratione parentaré. Cuius enim oratoris tanta eſt eloquentiæ vis, vt aliquam partem eorum, quæ hac in ſtatione perpeſſus es, aut copiosè pro magnitudine, aut exactè pro veritate, aut ornatè pro gloria exprimere poſſit? Hæccine poſt tot rerum diſcrimina, totq; annorum exantlatos labores, poſtrema tandèm ad quietem ſedes? Me dolor exanimat, obruor lacrymis, nec interruptæ ſingultibus voces meis me patiuntur ſaltem querelis liberè frui, cum te vir maxime, in vili tuguriolo, quod tibi obſtetrix ad nouam vitam paupertas ramis arborum contexuit, ſtratum, ærumnis conſumptum, mortifera febri æſtuantem, deſertum ab omnibus, omni ope ſubſidioq; deſtitutum, & (quæ tibi clades maxima) præciſa ſpe miſerandis, & quidem adiacentibus Sinis opitulandi afflictum, ac gementem aſpicio. Non enim is es, quem aut ſupplicij periculũ, ſi longiùs progredi audeas, aut inſtans in iſto frõdoſo ergaſtulo tuus obitus, ſi non poſſis, ulla ratione commoueat; ſed deploranda ampliſſimi regni pernicies, animorumq; ruina, cunctantem celeriùs opprimit in tua ægritudine vitam. Hæccine tantorum operum abs te concupita in terris merces? (cœleſtem enim a Deo paratam habebas). Hæccine, tamdiù meditata, & abs te tot maria emenſo ſperata Sinarum in campis ſatio, & cultura, vndè copioſiſſimi fructus in Iapones, maiore quàm anteà emolumento, transfunderentur? Humana mens procliuis ad errores, feſtinatum hic haberet in lubrico lapſum, niſi cogitaret rerum euentus, qui, ſpem debitam plerumque videntur eludere, diuina prouidentia in reconditos fines dirigi, ſuo poſtea tempore in maioris boni ſpectaculum aperiendos. Iam id palàm eſt. Iam Deus optimus maximus tuo annuit deſiderio, votiſq; largiter fauit. Etenim quid in illa vtraquè prouincia Societatis noſtræ homines te hac vita functo ad hanc vſquè aetatem præſtiterint, ac perpeſſi ſint, nolo mea in oratione ponere, ne aures communi omnium narratione iam plenas videar velle contundere. Iam tui vnius cupiditas expletur in multis; te te agis in poſteris. ex te primùm & labor, & fructus. tui ſanguinis flumina in te Numinis placito compreſſa, inuenere in aliorum corporibus viam. in ijs feliciter vitam mortemq; propagaſti. Sic indefeſſo terræ non ingratæ prouentu, & cœleſtium præmiorum

fideli

fideli largitate, ſua ſunt egregiæ voluntati tuæ gemina præmia. At quò abſtrahor? quò digredior? Ah! mi pater, deflectere a tui aſpectu oculos non poſſum, & ille me perimit. O ſol orte in occidente, cur tàm præceps in oriente occidis? O parens, o altor, o columen, o decus, ac ſolatium tot regnorum, ac gentium, ſiccine a tuis violenter auelleris, & quidem te tua conſuetudine, tuiſq; bonis, nūc & potiſſimum, & maximè fruituris? Nihil enim tua ætas adhuc florens immaturum habet præter mortem; nihil annoſum præter virtutem; nihil effoetum præter omnes in te cruciando dolores. Illæ iam in te laſſæ, in nos vertuntur, foecundæ ad nouum, & acerbum ob tui amiſſionem moeroris partū. Tua illa annorum viriditas rapitur ad ſepulchrum, poſcente coelo virtutis canitiem, Sina præſentiam. Nunc præter hanc (ſi tamen vlla eſſe poteſt) in tuo amore fluctuatio. Conſtantia verò doloris in omnium animis cum illa decertat. Illa tamen tandem ſiſtitur, & in Dei voluntate pacatiſſimè conquieſcit. at hæc augetur, dùm te cauſam dante, lugere cogimur, & vetante, flere non audemus, veriti ne noſtris lamentis, querelis, ac moeſtitiæ nubibus tui animi altitudini, patientiæ, ac ſerenitati, quibus te viuo, honorem detulimus, iniuriam decedente faciamus. Nefas eſſe de ſuo malò dolere, ſummus dolor eſt: at potentius gaudium, ſi hunc interimat. Abs te vtrumquè. Nunc ſiquidem affluentiâ voluptatis tuæ ita in nos redundat, vt præſentis noſtri mali ſenſum obruat. O noſtra ſuauitas, tuus amor infert medicata vulnera. Noſtras igitur inter timida ſuſpiria gratulationes cum coeleſtibus miſceamus. Non hic, Franciſce, tibi iam Sinarum, ſed æternæ felicitatis portus. Tibi ſe pandit coelum. tuo huic inuidere coepit hoſpitio. O arbuſta, & virgulta feliciter ad hoc conſtruendum diuerſorium nata, Sinarum regiæ anteponendum! Nihil vnquàm pulchrius obumbraſtis, quamquàm veſtri nullus hic vſus. ſuis veſter hoſpes intus ardet, ac lucet flammis. O fortunatum pignore tam caro ſeceſſum! O nouale nulli poſthabendum telluri; quantam poſthac frugum vbertatem ſpondes! Si bona Sinæ nunc coràm ſe poſita noſſent, labefactatis repentè ſua cum lege tamdiu obſtinatis limitum repagulis, aut te venientem excepturi, aut præ morbo morantem rapturi effunderentur. Verùm incolæ coeleſtis patriæ te ciuem ſuum repetunt; tibi obuiam properant; tibi gratulantur; tua facta concelebrant.

Nulla

Summus inter illos imperator tibi manus præmijs prodigas tendit; ſuo te fouet amplexu, in thalamum immortalis connubij traducturus, amore vtrinquè ſolicito paranympho. Aſtat filio parens Virgo, teq; blando vultu ſolatur, eius in gremio non agis animam; ſed agitatam hucuſquè continuis pro communi tàm multarum nationum ſalute malis, dulci tranquillitate deponis. Surgit inter æmulos honores in te cumulando diſſidium. Conuolant impatientes coronæ ad tuæ theatra patientiæ. Suſpice in beatorum domicilio ſedem diuturno tui deſiderio, & expectatione penè conuulſam. eò conſcende tandem aliquandò. Fruere perpetuò illa gloria, quam tibi tot claro victorijs, tot triumphis onuſto, ac tàm incredibili meritorum magnitudine comparaſti.

ORATIO XXV.

Reliqua Ignatij vita Romae acta. Eius illic in omnium hominum procuranda ſalute incredibile ſtudium, atquè induſtria.

MAximo me beneficio affici exiſtimarem, ſi Franciſci Xauerij, quem modò in cœleſte capitolium euectum vidimus, funebres honores, mea morte, ac funere, tot orationum facto hic fine proſequerer. Sic enim pij oratoris officium exhiberem, qui hactenùs præſtare non potui eloquentis. Sed quoniam ſuperſtes filio communis omnium noſtrum parens ab extremis orientis finibus Romam me reuocat, ſpiritu, quem ab illo cum cæteris hauſi, haberet indignus, ſi nondum perſoluta mei erga eum debiti poſtrema parte, optarem reliquum mihi vitæ curſum laboriſq; præcidi. Sentio equidem quàm graue id ſit, quod ſupereſt, oneris. Verùm cum muneris mei ratio non meis viribus, ſed aliorum auctoritate nitatur, ſuſtinendum: ne qui adhuc tuo inprimis, Ignati, fultus auxilio ſteti, nunc videar, abiecta fiducia, turpiter corruiſſe. Ad operis ardui molitionem magnanimitas, & conſtantia conſocient oportet manus. fauſtū huius ſententiæ omen. confirmato animo

hinc

Digitized by Google

hinc ſermonem auſpicabor, vndè Ignatius religioſum Societatis Ieſu ordinem tàm ſapienter conceptum, tàm inſignem, tam latè patentem peperit, erexit, ſtabiliuitq; Ergò Xauerio adhuc in Luſitania ſaluti animorum vacante, cum Paulus tertius Pontifex optimus maximus, introſpectis, ac diligentiſſimè diſcuſſis huius ſacræ, ac nouæ familiæ votis, legibus, ac fine, addito quoquè ad priuati ſingulorum Cardinalium iudicij prærogatiuam publico eorumdem ſimul omnium conſenſu, illam approbaſſet, ac confirmaſſet, continuò Ignatius ſociorum comitijs Societati præficitur. Erubuere ſuffragia non neceſſaria. Cui enim alij committenda erat gubernatio, quàm auctori? Cui regimen filiorum, quàm parenti? Suum corpori eſt impoſitum caput. Hic vidiſſes dubiam vtrinquè nobilis pertinaciæ victoriam: illis debitum imperij honorem deferentibus, hoc acerrimè recuſante. Nouit & animi demiſſio cum vrgetur aſſurgere. Quanta vis pugnantis modeſtiæ, in cuius vulnera perſpectæ ſapientiæ neceſſitas ire cogitur! Ceſſit tamen Ignatius, ne nô magis ſeipſum, quàm ſociorum ſuffragia, imò prærogatiua comitijs iudicia ſpreuiſſe videretur. Suus cuique virtuti modus: hunc illi ratio; mihi verò meũ, in dicendo, facultatis inopia definiuit. quamquàm cuius tam ſoluta facundia, quæ per ea, quæ ille tùm in Societatis vniuerſæ regimine, tùm in communis hominum ſalutis procuratione, tum in exercendis erga ſe virtutum incrementis, reliquo vitæ flexu, incredibili labore, ac diligentia geſſit, pro dignitate, ac meritis poſſit excurrere? Alij condita, alij conſeruata republica, aut vrbe aliqua ſe ſe iactaſſe memorantur. Nullus in hac partita laude conflictus Ignatij. totam ſibi rapuit. Societatem quippè inſtituit, rexit, amplificatamq; tutatus eſt. & quidem adeò admirabili prudentia ſanctitati coniugata, vt inter totius huius gloriæ partes nulla de feliciore ſucceſſu diſceptatio eſſe poſſit. Rara laus eſt, in rebus aut natura diſiunctis, a ſe non auelli, aut magnitudine imparibus, ſibi eſſe ſemper æqualem. Stant noſtra omnia Ignatij legibus, & exemplo. hoc illas anteuertit. Operum conſilio inſtituta prodiere: factis decreta digeſſit. Suas virtutes omnes paginis non amplis aperit: & ſe ipſum ſcribentem non agnoſcit. rubuiſſet è pudore calamus. In illis legimus non minùs quæ patrauit ipſe, quàm quæ nobis agenda præſcribit. Suos mores conuertit in præcepta; & hæc eadem documenta quoquè ſunt,

Digitized by Google

quorum magiſterio ambiguum redditur tanti legislatoris officium; dum non minùs docere videtur, quàm iubere; neque magis hæc præſtare voce, quàm manu. O artem non ſolùm operum imperatricem, verumetiam arbitram voluntatum! Colores, metalla, marmora ſanctiſſimorum virorum effictis animata imaginibus peculiaris alicuius, ac memorabilis facti notam atque inſigne, quo inter ſe dignoſcantur, prætendunt. Promat Ignatius, & conſpicua efferat dextera legum codicem!, quibus Societatem hanc minimam vinxit, auſim dicere, nullo iactantiæ periculo, ſed veritatis authoramento, codicem illum eiuſmodi eſſe, nihil vt aut ad ſapientiam auguſtius, aut ad prudentiam perſpicacius, aut ad virtutum adeptionem efficacius, aut ad animorum adiumenta potentius, aut deniquè ad ſtabilitatem firmius deſiderari poſſe videatur. Cum igitur ijs Conſtitutionum ſuarum locis quibus de perfectiſſimo animi cultu diſſerit, viri religioſi, numeris omnibus abſoluti, formam deſcripſerit, eandemq; in ſe viuus expreſſerit, profectò dum librum illum manu ſuſtinet, ſe ipſum compendio geſtat. Quo fit vt in eius memoriam, ac laudes nullum monumentum perennius, nullum nobilius trophæum, nullum ſimulachrum viuacius extrui, ſtatui, effici poſſit. Et quiſquam igitur dubitabit, quin in conceptu & partu Cóſtitutionum, regularum, atque inſtitutorum, quæ Societati noſtræ ſeruanda præcepit, tot lacrymis oculos, tot precibus mentem, tot ſacrificijs altaria, tot noctes vigilijs, tot ieiunijs corpus, tot curis tempora fatigarit? Quantos, Deus immortalis! eius labores fuiſſe oportet, cum prodigioſus ſui contemptor, miraculumq; modeſtiæ, rem totam, vti erat, iuſta oblata cauſa, vltro confeſſus ſit? Cum olim in ſacri montis cacumine primus Hebræorum ductor ac legiſlator, tonanti, quamquàm mitiſſimus hominum, caligine conuolutus, ac præpotentis Dei potitus afflatu, legem ab illo pronus accepiſſet, indè ſub deſcenſu conſpicatus ſuæ gentis, è ſagina ſaltantis, coeloq; inter nubium fragores iaculante fulmina, belluam adorantis inſaniam, hæſiſſet illicò præ ſtupore, niſi, tametſi patientiæ conſecratum, tanti ſceleris atrocitas raptis ad vltionem manibus furere compuliſſet. Edita eſt tabularum ſtrages, lapideæ ad ſaxa diffractæ. Veſtris erant, Hebræi, durioribus conterendæ ceruicibus, vt veſtros inter ſaltatorios illos orbes, in caput auctorum diuini ſupplicij rota verteretur.

At

Digitized by Google

At verò quis in tuum, Ignati, domeſticum ſacrarium ſe ſe immittere queat, relaturus ea,quæ cū Chriſto miſcebas colloquia? Quis ſubuolet tuæ mentis exceſſibus ſalutaria noſtris reſeraturus arcana? Quis tum tibi ſenſus inter nubes tuis conflatus ſuſpirijs, tuis diffluentes imbribus ad filiorum foecundam propaginem? Nulla hic fulgetra; nulli minaces aëris mugitus. Amoris vndiquè ſe ſe verſat imperium. Nulla legibus tuis imminet, poſterorum noxis, Deo iuuante, calamitas. Circumſpice toto terrarum orbe diffuſos, adeò auidè tua dicta deuorantes, ita ſtrenuè tua facientes iuſſa, tàm exacta diſquiſitione officiorum penſo ius dicentes, tam frequenti luſtratione obliuionis intercidentes pericula, vt in exequendis mandatis, laudanda cupiditatis ſe ſe in omnia diuidentis vaſtitas ſibi videatur anguſta, dum putat nihil quidem ſibi deeſſe quod poſſit, ſed ſemper aliquid ſupereſſe quod debeat. Quo fit vt animus nutuum explorator languida parendi ambitione vulneretur. Sic tuarum inſtitutionum diſciplinarumq; vita ſuo ſe partu ab interitu vindicat. Nulla illuſtriora teſtimonia, quàm facta. Hæc habes a filijs parens, ſpectatore omnium hominum coetu. Quota enim quæque prouincia, quæ præter caeteros omnes, in virtutibus ac literis ſui ſtudioſiſſimos, non paucos quoquè viros ſanctitate ac doctrina inſignes proferre pari ſuo cum honore, fructu, ac lætitia poſſit? Horum partem etiam ante obitum, Ignati, vidiſti, vt tua merita cunctationem præmiorum vexantia, præriperent aliquod, quo tuam iſtam vitam æternae augurem, ad ærumnas breuiorem quàm credideras, ad ſolatia longiorem quàm optaueras, fuiſſe iudicares. Iam verò vt a domeſticis rebus ad externas exeat oratio, cum antea Ignatius in aliquot celebrioribus Hiſpaniæ, Galliæ, atquè Italiæ vrbibus, nouus Chriſti colonus in extirpandis hominum vitijs, in ferendis virtutibus, copioſiſq; ſubindè fructibus coelo tranſmittendis, ea,quæ ſupra commemorauimus, communi opinione maiora præſtiterit, quid non iam ab illo peritiſsimo æquè ac exercitatiſſimo agricola tantæq; familiæ principe perfectum eſſe dicemus? cum adhuc in Chriſti militia tiro tàm præclaras de potentiſsimis ſalutis humanæ hoſtibus victorias reportarit, quos non triumphos, quam non eſt gloriam veteranus ac ſe ſemper ſuperior imperator conſecutus? Hic ego non minùs animo, quàm ſermone fluctuarem, niſi me

impo-

impotentem dicendi, è ſuggeſtu, rerum ab illo geſtarum magnitudo in ſui theatrum toti terrarum orbi patentiſsimum, condonato ſilentio, ſpectatorem vocaret. Opportunum oratori beneficium eſt, ſi munus ingenij ac linguæ quod exercére non poteſt, vertatur in eius oculorum atquè aurium vſum. Neſcias vtrum vir ille, omnis facundiæ terror amabilis, ingenioſior fuerit in excogitandis, an felicior in perducendis ad exitum conſilijs atque artibus, quibus hæreticorum, aliorumq; Chriſti hoſtium cæcitati lucem afferret, Catholicos verò ad vitam ac pietatem ſuo dignam nomine ac religione formaret. Romæ ſiquidem tanquàm in arce Catholicæ fidei, ac gentium omnium luce, prima ſpectacula eius operum. Ab hac vrbe Collegio totius Societatis primario & maximo, eiuſdemq; ſapientiſsimi viri opera condito, nomen eſt. Collegium Romanum exemplar & origo eſt aliorum omnium, quæ in cæteris prouincijs erecta ſunt, viuo adhuc ac Societatem gubernãte Ignatio. Hic delecti ex omnibus nationibus Societatis iuuenes ſuo ſinguli vacant, & patriæ bono. Hic ad omnes virtutes, pietatemq; ſingularis educatio. Hic diſciplinarum inexhauſta panſpermia. Nequè verò hic erga noſtros tantum, verùmetiàm ergà cuiuſcumq; conditionis externos, magiſtrorum moderatorumq; deſudat induſtria. Solus his Deus pro mercede. Quam maiorem expectent? At nunquid longiùs quàm in Collegium Romanum ſeſe Ignatij prouidentia protulit? Pande Roma vrbium parés alumnis aduenis ſinum, è quò, tãquàm orthodoxæ doctrinæ fõte, puriſsima in eorũ prouincias flumina deriuẽtur. Agnoſcat Germania quãtũ huic vigilantiſsimo viro ſit obſtricta; quo auctore Collegiũ ſibi inſtitutũ quid opis atquæ adiumenti ad veram religionem tuendam, & extinguendam hæreſum peſtem ad hanc vſque diem ſuæ genti attulerit, habet dicendi copia quod pro merito debeat, non quod pro rei magnitudine poſsit effari. Dies ducitur è die; & ex opere opus. Felici tentati glorioſi facinoris euentu nullum ad alia inuitamentum vocalius. Nimirum eccè tibi poſteà, quamquàm pernix illa quidem; tardior tamen ad commendationem fama, quàm æmulatrix caritas ad imitationem. Circumſpice, quiſquis es Romæ nouus hoſpes, Græcorum, Anglorum, Maronitarumq; Collegia, tanquàm ſeminaria ad bonorum aceruos, quibus illæ prouinciæ illata luctuoſiſsimis temporum calamitatibus

damna

damna reſarciunt. Quis ignorat hæc a Gregorio XIII. Pontifice maximo, cui celebrando nihil, præter ſui breuitatem, ſeculis obſtat, erecta, cenſuq; annuo dotata eſſe; donatis quoquè Collegio Germanico, vnà cum neceſſario prouentu, amplis ædibus, vt quod ab Ignatio, maturè ſibi, nobis immaturè ſublato, perfici nõ potuerat, tanti Paſtoris pietate, ac magnificentia compleretur? Quid commemorem Seminarium Romanum, florem atque ornamentum Italicæ iuuentutis? ſed, pro Deũ immortalem! quid me Romæ contineo? foràs, immotus tamen, excedam. Verùm ne me propterea, amice hoſpes, ducere pompam cogas, ne arcta oratio rerum multitudinem excutiat, ſplendoremq. ineptus orator obſcuret. faciamus vterque labori noſtro compendium. Adi gymnaſium Romanum. Conſcende aulam maximam. circumfer oculos per inductas vndiquè parietibus imagines. ſtans vno in gradu terrarum omnium regiones peragrabis. Nonne vides tot Collegia, tot Seminaria, tot templa, tot ædes Catholicæ religioni aut ſtabiliendæ, aut propugnandæ in omnibus fermè prouincijs conſecratas, vt quos peculiares alumnos vna omnes in vrbe non poſſet, bonus Paſtor aleret, ac foueret in pluribus? Hæc ſimulachra, hæ ſtatuæ, hæc trophæa, hæc monumenta Gregorij XIII. toto terrarum orbe viſenda. Non eſt quòd marmora recidantur è rupibus ad ſepulchrum, illo tot ac tam diuerſis in locis ſuperſtite. Memoria quæ in his ſpatiatur aulæ picturis, vbiquè viuit in factis. Sed quid hæc, inquies, ad Ignatium? Immò verò, partus, videlicet, partum euocat, & educit. Ab vna radice non vnus tãtum frutex, nequè vnus a copioſo vndarum capite riuus. E rerum ſucceſſu petenda origo. Itaquè rei pro ſalute hominum a vera religione aberrantium benè gerendæ, Ignatij, iam tum vita functi, perſpecta omnibus conſilia, Gregorij animo ſuggerebant modum, vota decretum. adeò vt cæterorum quoquè operum omnium, quæ poſteà Summorum Pontificum, regum, principum, aliorumq; cuiuslibet ſtatus hominum ſingulari beneficio, ad publicam in re literaria, probiſq; in primis moribus vtilitatem effecta, noſtræq; Societatis diſciplinæ, ac fidei tradita ſunt, res Romæ ab Ignatio geſtæ, aut exordia, aut ſemina, aut exemplaria fuiſſe cenſeantur. Ad illas me refero. Nullus enim eſt ea in vrbe, qui neſciat coenobium Diuæ Marthæ, arcem tutandæ pudicitiæ mulierum a maritis diſsidentium, donec illis recon-

cilientur,

cilientur, pariterq; Diuæ Catharinæ, virginei puellarum coetus cuſtodis, ſacram domum, Ignatij conſilio & hortatu, a viris primarijs, penes quos eſſet gubernatio, conditam eſſe, atque optimis legibus ſtabilitam. Neophytorum quoque ſedem, quod eius opera effecta ſit, honori ſibi maximo ducere. Quid illud! quam ſalutariter inſtauratum! Lex erat Innocentij III. Pontificis maximi, ne medici ad ægrotos, quos primò ſemel inuiſiſſent, iterùm adirent, niſi peccata ritè confeſſos. hæc deſuetudine ferè antiquata; Ignatij ſtudio, ac procuratione reuocata tandem eſt, quodam tamen moderamine mitigata. Suæ ſunt animo ægritudines, & quidem multò plures, grauioreſq; quàm corpori. Sanam tamen inter ſe quæſtionem habent, vtra ſit maior, indolentiane, an contemptus. O nos miſeros! Amoliendæ morituro corpori morti, verẽdum eſt ne ipſæmet medicæ artes intereant: immortalis verò animus nullo, ne ſeipſo quidem, curatore, liberè mori compellitur: & ſuo tamẽ in interitu viuit, vita quauis morte corporea luctuoſiore. Corpus animi mancipium, hoſpitium, & cuſtodia eſt. Seruitur mancipio; ægro hoſpite miniſtratur hoſpitio; & uincto vitijs corrupto cuſtodia vertitur in ſepulchrum, cui vel medico igne, ac ferro indelebilem vitam incidere nitimur, dum ſuam animo eruimus. Auro flagellantur medicorum manus, nullo, niſi animi noſtri, vulnere. Exhauriuntur arcæ, & noſtra ſimul diteſcit inſania. Nunquàm tàm pacato ſtupore deliramus. Comparatum peculium pleriſq; capitale eſt curato animo, & fraudato corpore. Hæc erat cogitatio quæ mentem, ac ſenſus intimos Ignatij torquebat. Eam ille tamdiu concoxit, donec vi legis illius, quam dixi, digereretur ad nobiliſsimam hominis partem ægritudine liberandam. Eſt & aliud malum, ei, quem modò commemoraui, morbo affine. in alterius videlicet animi cultum incũbere, ſuo inculto atque horrido. Cui, amabo te, iſtiuſmodi hominem comparaueris? appoſitè, mea quidem ſententia, ſtatuario toruis oculis, diſtorto naſo, buccis fluentibus, gibbo, claudo, manibuſq; ſcabie munitis pulcherrimam, atque omnes corporis partes ad miraculum exprimentem in ære, aut marmore imaginem effingenti: niſi quod artificis excellentiam nihilominus admiramur, de corporis eius vitio non laboramus. Phidiam in Therſite non fugiam. Pingat Apelles in Aeſopo, tabella huius oſculabitur manum. Decora

manus

manus non quæritur ad ſtatuæ formam; neque teretes ac niuei, ſed doctè verſatiles articuli ad pretium pruriunt. Frons deformis ſudare poteſt in opere ſpecioſo. Quis verò ſanę mentis malit ſibi lapidem ſcalpi auro, quàm ferro? At profectò non eadem in moribus ratio. Nam quid abſurdius, quàm alicuius mentem ſpinis obſitam purgare, quibus ipſe horres? aut vitijs quempiam exuere, quibus indueris? Aliorum, non tui, miſertus, te pium inhumaniter reddis. Quorſum iſta? vt videlicet è tribus huius orationis partibus, a me ſub initium indicatis, hæc poſtrema ſuum nunc habeat locum.

ORATIO XXVI.

Ignatij animus omnibus virtutum numeris perfectus.

IGNATII igitur ſingularis ſapientia non ſolum in Societate conſtituenda eluxit; neque ſolum ad inflammandos diuino amore homines eius caritas arſit, verumetiàm cum ſuas ſibi res inprimis agendas eſſe intelligeret, in omnibus ſuis moribus ad exquiſitiſſimę ſanctimoniæ apicem euehendis, curas, uires, operamque conſumpſit. Quod ſi priſtinum illud Minoreſſanum tempus, per ſecti animi adeptione traductum, ſecum ipſe poſtea tirocinium quoddam fuiſſe reputabat, ſi quis rectè ratiocinetur, in eius prouectioris vitæ laudatione conſummatam cuiuſcumque oratoris eloquentiam non niſi rudimentum fuiſſe iudicabit. Quamquàm ſanè cum tanti Herois virtutibus templa, gymnaſia, fora, compita, ſcriptorum volumina, atquè ora diſertorum hominū quodammodò agitentur, tumultuaria horum omnium æmulatio, raptis atque attonitis rerum admiratione animis, nullum cedit ad ſtyli cenſuram locum, nec temporis ſpatium. E' tàm officioſa conturbatione nudum auribus preconium incidit. quo fit vt ipſamet laudati viri magnitudine pudor, & infinita laudantium multitudine mihi labor in dicendo minuatur. Peruulgata Ignatij vitæ morumque ornamenta omnia, commodo beneficio ſermonem, qui prolixius alias deberetur, mihi vertunt in ſummam; eorumdemque vaſta celebritas ſedem mei pudoris occu-

V pat.

pat. Nam quid ego ad illius excellentiſſimi viri virtutum aut cognitionem noui, aut dignitatem ſingularis afferre queam? an accuratam ſui ipſius depreſſionem, qua ſibi mortalium omnium infimus videbatur? an qua Societatis ſupremum regimen, cui oneri iam coactus humeros ſubiecerat, ſæpè à ſe poſteà tentauit omni arte conatuq; depellere? an qua Societatem, cum non ſe, ſed Chriſtum illius auctorem agnoſceret, non a ſuo, ſed à Ieſu nomine appellandam putauit? Quid cum pueros Chriſtiana cathecheſi erudiret? Nunquid hoc a ſua grauitate alienum exiſtimauit, quo ſe potius indignum iudicabat, memor illius, cuius laudem ex ore infantium & lactentium perfectam eſſe ſacrę teſtantur literæ; nec non huius Vniuerſitatis contemplator, in qua, videlicet, a Deo optimo maximo, cuius potentia procreati ſumus, & ſapientia gubernamur, ſua ſunt rebus omnibus ad debitum ſtatum initia, neque id eius obſcurat gloriam, nec minuit maieſtatem? Quid cum vir eo dignitatis atque auctoritatis gradu ſublimis, ad infima domeſtica munia non ſolùm ſeſe vltrò frequenter abiecit, verumetiam cuilibet laico fratri huiuſmodi miniſterijs dicato tàm alacriter paruit, vt non modò tirones viderent quid diſcerent, verumetiàm eorum inſtitutores haberent quod imitarentur, dum docerent. Sed hæc animi tanta demiſſio cum oppoſita eiuſdem altitudine ſpectatorem ita diſtrahunt, vt neque oculos in hanc erigere, neque in illam demittere niſi perturbatè queat. Laudem partiri neſcit. tota viciſſim ex altera in alteram rapitur. Suas actura partes inuidit magnanimitati conſtantia. Nullum quippè opus, quamtumlibet arduum, ad Dei gloriam in ſe recepit, quod non vel vitæ pretio ſibi præſtandum eſſe decerneret. Quos non ille ventos vidit, quas non ſubijt frequenter procellas? Adeò tamen nullis vnquàm tempeſtatibus ceſſit, vt illæ potius vires eius augerent, & ſpem bonam accenderent. Suum ſemper, Dei beneficio, conſtitit & viribus opus, & ſpei euentus. Ea verò fuit manſuetudine & comitate, vt neſcias an facilius fuerit eius cõſuetudine capi, an difficilius ab illa remoueri; eo in iniurijs condonandis ſtudio ac diligentia, vt illarum in eius animo ſola eſſet hæres obliuio; niſi quantum iuri recordationis concedendum eſſet, ad preces Deo pro criminatore fundendas. Si quos fortè inimicos non cognita eius virtus, aut exoſa feciſſet,

cos

eos tantis demerebatur beneficijs, vt ſi fas fuiſſet (quod abſit) eorum improbitas potuerit ad confirmandam in illum maleuolentiam ſtimulari. Si quid verò aliorum cuipiam, vt fert natura, errati excidiſſet, hoc à delinquente agnito, nihil illo pronius ad ignoſcendum. Quod non ſupplicium meretur reus, cui ad confeſſionem offertur pro quæſtione venia? Cum tamen res exigere videbatur, compoſito ad ſeueritatem vultu, aptabat verba, quibus vulnus ad ſanitatem aperiret, non autem illud idem vulneraret ad mortem. Congeminanda ſunt medicamenta, non vulnera. Adhibito verò remedio, & curatione perfecta, ita ſe gerebat, vt nunquam alienæ præteritæ culpæ obductam cicatricem ſcalpere videretur. Mortuum peccatum extincta quoquè memoria præibat ad ſepulchrum. nihil in hoc legiſſes præter lituras. Luendane perpetuò delicti expiati pœna? Iam verò ſapientiæ ac prudentiæ Ignatio diuinitùs infuſæ tam illuſtria ſunt, & quidem viua in omnium oculis monumenta, tam admiranda in rerum ab illo geſtarum hiſtorijs acta, vt mihi ad dicendum longè impari, temeritatis periculum venerabundo ſilentio redimendum putarim. Quid cæteras eius virtutes prædicem? De ijs enim præteritis orationibus diſſerui, quamquàm equidem exiliter pro magnitudine. & tamen hanc poſteà, Romæ dum vixit, reddidit auctiorem. Multò igitur minùs mea in dicẽdo facultas cũ illo augmento aſſurgit. Verùm id meę non officit voluntati. nulla quippè virium mearum habita ratione, totius laudis ſummam breui ſententia comprehendam, ſi dixero, Ignatio omnibus virtutum numeris antè perfecto, nihilominus vnum eundemque & reliquæ vitæ, & continui earum incrementi finem fuiſſe. Nam de admirabili eius pudicitia, & caſtitate quid attinet dicere? Quis, ab eo quidem certè tempore, quo vitam cum militia mutauit, ad impuram voluptatem conſenſus eius eſſe potuit, cum omni prorſus illius ſenſu ità caruerit, ac ſi beatarum mentium inſtar, ab huius eſſet mortalitatis contagione ſeiunctus? Hoc ille eſt, vt ſupra memoraui, à Beatiſſima Virgine beneficium conſecutus. Nihilominus adeò pertinax fuit ſui corporis vexator, vt licet tot ante annis de ſe magnificè triumphaſſet, tamen non minus ſui ſemper ſibi timendus hoſtis, quàm victor ſecurus eſſe videretur. Extractum bellum ſociabat paci ad præſidium. Ad aſtruendam verò incredi-

bilis eius erga omnes caritatis fidem, quid eſt quod quiſquam afferri oportere arbitretur? Veritati per ſe loquenti argumenta conquirere iniurioſi laboris eſt, & ſolem illuſtrare velle, inſani. Cum tamen debitis merita ſint efferenda præconijs, iam Minoreſſa, Barcino, Lutetia Pariſiorum, ac Veneta ditio, iam Roma ipſa, totuſque adeò terrarum orbis incomparabili tanti viri virtute facundiſſimorum hominum dicendi vim, facultatemque conſumpſit. Quo fit vt nunc mei tantum muneris ſit, ea Ignatij acta ſilentio, non voce contrahere. Inſolens oratori leuamentum eſt, ſi minimè id exigi a ſe ſentiat, quod maximè deberi videbatur. Quod ſi tam effuſa fuit illius beneficentiſſimi viri erga omnes caritas, quanto in Deum amore æſtuaſſe cenſendus eſt, è quo totam illam hauſit, tanquam, non dicam fonte, ſed pelago? Hinc frequentes in Deum mentis exceſſus. hinc populata cœleſtibus flammis præcordia: quas cum intus coercere non poſſet, fiebat vt ſubindè in oculos, ac vultum eius erumperent. Incendij vim vi Chriſtianæ humilitatis repellere nitebatur. Sed illud eo potentius ſæuiebat. Hoc tum erat in Ignatij pacatiſſimo pectore prælium. ſe ipſe prodere cogebatur. Sed eius nomen conſentiebat, ne quenquam falleret. Suſpicere identidem ſolebat cœlum. Eò ſcilicet figebat oculos, quò amor collimabat, vt mixta ſuſpirijs deſideria iacularetur. Indè, non autem ex iſta infirma terreſtri mole, nubibus euocatis, ſereniſſimus ille vultus tacito imbre oculorum nota ſibi ſoli dulcedine perfundebatur. Quid continuum orandi ſtudium referam, adeò Dæmonibus formidabile, vt odio in rabiē verſo, conſtantem atque immotum in precibus virum flagris immaniſſimè fermè conciderent? furor excæcat. Eò ardentiores ſcintillas ſuis ictibus excutiebant ex hoſte Ignatio. Nulla ſilex in eos durior. Sed quam non ille materiam ſuo igne corripiebat ad pabulum? Nihil in hoc mundi pulcherrimo amphitheatro eius obijciebatur oculis, à quo non ſtatim in conditoris contemplationem conuerteretur. Nulla verò tùm viciſſim diuinis ſagittis otia. Quò enim ſe tot inter rerum ſpecies tuliſſet animus diuino immunis a vulnere? O felices amoris plagæ; & quidem decurrente quotidiano è geminis Ignatij luminibus, non doloris, ſed voluptatis flumine confouendæ. Quàm ambigua eſt lacrymæ natura! hic humor cuilibet mentiri poteſt, præterquam
plo-

ploranti. Nihil tamen propiùs fuit, quàm vt claro cæcitatis periculo, in lacrymis illis delitioſiſſime noxijs, natantes eius oculi mergerentur. Operoſiuſne ſit ciere ſibi lacrymas an ſiſtere, ſuus cuique ſenſus eſt. at hominem earum arbitrum eſſe, planè inauditum. In mores, non in naturam libera illius dominatio. Sed potentiæ diuinæ quid obſiſtat? Ab hac Ignatius in lacrymas adeptus imperium eſt. Procul hinc non minus perditi, quam fabuloſi Ioues, Aeoli, ac Neptuni. Nullus vobis in nubes, nullus in ventos, nullus in mare principatus. Tu Ignati aliarum nubium, ventorum, atque vndarum prodigioſus imperator. Idem tamen ius non fuit; nec eſſe debuit in tuos ignes. His adhuc continuè flagraſti: licet mitigando, ſi poſſes, ardori ſubindè reſerares lacrymis clauſtra. Verum iam inſtat tibi vitæ mortalis terminus, ſempiternæ felix initium. Creuere nimium flammæ, nullis ampliùs temperari fluminibus poſſunt, mox cœleſtibus inuoluendæ incendijs. Laxa tamen euerſo vndique aggere torrentibus vias, æternarum voluptatum miſcendis Oceano. vt te cœlo præſtolante nunc quieſcas, amoris & vndis obrutus, & igne conſumptus.

ORATIO XXVII.

Ignatij felix obitus.

QVOD bonum, felix, fauſtum, fortunatumque Ignatio fuit, in beatæ perennitatis præmia tot ac tantis eius debita meritis a Deo immortali vocato, neminem eſſe arbitror, qui non exiſtimet illud idem cum toti terrarum orbi, tùm noſtræ inprimis Societati tanquàm luctuoſum eo tempore accidiſſe. Etſi enim diutius vixit, quam exantlatæ ab illo curæ, labores, ęrumnæ communibus votis polliceri viderentur, tamen cum nondum ſumma ſenectute occubuerit, fieri non potuit, quin tantum omnibus mœroris accederet, quantum annorum de tam præclara ac fructuoſa vita deceſſit. quamquàm profectò nec diuturnior illius ætas ſteriles moleſtiæ omnium animos reddidiſſet. plerique ſiquidem bonum poſſeſſum metiuntur, non temporis curſum. Attamen cum viri ſanctitate inſignes, heroeſque præſtantiſſimi,

non

Digitized by Google

non tàm ſint à Deo bonorum largitore donati, quàm conceſſi mortalibus, tunc par fuit, vt beneficij tot annis conceſſi magnitudinem agnoſcere, ita perpetuę Ignatij gloriæ gratulari; ne quis reperiretur, qui pluris iacturam ab hominibus factam, quam illius felicitatem æſtimaſſe iudicaretur. Verùm quę tandem iactura eſſe potuit, vno eodemque rebus humanis & extincto & ſuperſtite viro? Hæreditatem fructuum hic nobis a ſe relictam, nouis ac nunquàm interituris cœleſtibus opibus a ſe comparatis auctam ſtabilitamque ſeruabit. Sic & ſuo & ſuorum bono ademptus eſt. Ipſemet diſceſſus ſecum attulit qualicumque a ſe inflicto vulneri medicinam. malum remedio præuentum. ſuborto inter communem triſtitiam, & ſpem bonam diffidio, mœrorem ſolatium occupauit. Maior quàm vnquàm anteà optimi parentis ex hac mortalitate abeuntis, diuinæ voluptatis copia ita filiorum ſenſus peruaſit, vt eorum vultum dubijs omnino aſpergeret moleſtiæ notis. Nullo vnquàm tempore aut loco non potuit Ignatius non maximè profuiſſe. Ergò cum ea tempeſtate, tota diſcordijs ac deplorando bello ardente Campania, Romæ armis omnia ſtreperent, ſanctiſſimo viro non minus huius vitæ pertæſo, quàm alterius cupiditate incenſo, inſtare viſus eſt dies, qui tandem illi ad æternam beatitudinem illuxit. Decubuit leui ad ſpeciem tentatus febri; adeo vt illa minimè ſoluendus corpore animus, ſed ſolùm ad cœlum inuitandus videretur. Augur futuri, non ſuam, ſed aliorum opinionem fefellit. Vt ſuo deſiderio moras, ſic alienæ ſolicitudini laborem curationis abrupit. Mirari omnes, accurrere, fluctuare animis, procumbere in vota. Ille nihil commotus, vtpotè feliciſſimæ horæ non dubius, incredibili tranquillitate ac lætitia, animo atquè oculis in Deum beatęque patriæ obuios incolas erectis, ſuauiſſimo Ieſu nomine, quem ſibi cum Virgine Matre aſtantem videbat, intermortuis quidem vocibus, ſed mente viuaci repetito, animam, in cœleſti regno magnificentiſſimè triumphaturus, efflauit. Hæc curſim retuli. Aegritudinis breuitati congruere viſa narratio. Nunc vtinam tanta ſit in me ingenij vis, ac dicendi vbertas, vt quæ tùm in hac oratione adhuc a me de Ignatio repræſentanda ſunt, tùm in alia ſequenti, atque omnium poſtrema de admirandis illius, ac Franciſci Xauerij commemoranda prodigijs, ſi non pro dignitate, certè

qui-

quidem quoquo modo exequi poſſim; ne fortè deficientibus viribus, conatus (quod abſit) defuiſſe videatur. Vt igitur eò quo tendit, prouehatur oratio, illud in primis prætereundum non videtur, Ignatium, Societate tot antè annos conſtituta, eiuſque rebus perfectè compoſitis, adeò vt per duodecim prouincias, ac centum domicilia diſtributam videret, tamen vltimo actu, quo hanc, altera ſibi patefacta, vitam clauſit, ita ſe geſſiſſe, quaſi nihil omnino ad tale, ac tantum huius religioſæ familię opus contuliſſet. Sollenne eſt vel ſanctiſſimis aliorum ordinum auctoribus, conuocatos ſub obitum ſuos blando ſolari alloquio; ſalutaria monita teſtamento legare; denique dicere poſtremum vale. Totum hoc officij genus Ignatij modeſtia non agnouit. reliquit taciturnitate documenta. cum enim ſecum ipſe reputaret, Societatem eſſe Ieſu, non ſuam, tacitus profiteri viſus eſt, ſolum Ieſum ſociorum parentem, ſe tantummodò fratrem. Virtus nullo non tempore meditatur, ac ſurripit lucra. quo fit vt & hunc quoquè ſummæ ſui deſpicientiæ fructum decedens Ignatius in altiſſimam gloriæ ſedem extulerit. Deſcenſu euectus eſt. Venit mihi in mentem ſuperbiæ primorum hominum poſt terrarum omniũ eluuioné, qui cum, vt eſt in ſacris hiſtorijs, turrim, quò caput non poterant, aſtris affiné erigere molirentur, ſurgente opere, deſcendiſſe narratur Deus. Docuit ſcandendum retrogrado motu. temeritatem humaniter fregit. Conſilium illis erat perpetuam ſui memoriam ſtruere ac ſtabilire: quibus artibus? cocto latere, ac bitumine. Vah! quale in primo hominum conuentu delirium! Mirum eſt, ne in communi quidem fermè recenti diluuio humanam ſtultitiam potuiſſe naufragium facere. At Ignatius, niſi fortè id in aliorum detrimentum cederet, maiori ſemper ſtudio arſit ſuæ abijciendæ, quàm ceteri retinendę dignitatis. Metus verò ne quid etiam indè laudis, quam adeò refugiebat, agnita virtus ſecum traheret, curam hanc laboremque vehementer augebat. Verſuta ſiquidem eſt plurimorum improbitas, eum ipſum honorem, quem ſpernere videntur, ambientium. Sui ludibrio venerationem aucupantur; adorant, quam vitioſè proterunt gloriam. faſtus plerumque ſe condit in tumulum, vt facti admiratio cultum adducat. Catonem, non magis ſuæ, quam alienæ vitæ cenſorem, cupido aliquandò inceſſit Aſiam pedeſtri itinere peragran-

agrandi. Obequitantibus amicis, pedes ibat eius ambitio, ad gloriam capitis. Ergò ingreſſurus Antiochiam, cum ad vrbis portam, populum obuiam confluentem, iuuenumque agmen in veſte candida nitens hinc indè diſpoſitum vidiſſet, ratus id ſibi honoris haberi, confeſtim comitibus equo deſilire iuſſis, apparitores ſuos iracundè obiurgat, quod his ciuium officijs non obſtitiſſent. Mox a procedente pompę ductore, ne ſalutatus quidem, interrogatur, quantum abeſſet Demetrius. (is erat Pompeij libertus) ſocijs tum vt par erat, in riſum effuſiſſimis, hanc ei ſolam ſtupor vocem reliquit, o miſeram, inquit, ciuitatem! Immò verò te miſerum, Cato, qui ad ignominiam concidiſti, cuius te contemptorem de ſtoica diſciplina profitebaris. Turpior fuit caſus peditis, quàm equitis fuiſſet. Vanitati tuæ fucum feciſti. Virtus non mentitur ſibi. Quàm bellè id accidit! Quàm ridiculum facinus, Pompeiano ſeruo libertate donato, Romanum principem ſuæ ambitionis eſſe mancipium; ſudare pedeſtrem ac pulueruleutnm Catonem, ſtertente ad flabelli ventum roſea in lectica Demetrio! Tantine conſtat inſanire? præſtat ſapere gratis. Sed mittamus cunicularias iſtas nobilis famæ mendicitates. veniamus ad conſpicuam non quæſitam gloriam. Quid mirum quòd Ignatius non minore ſtudio laudem, quæ poterat è contemptu ſui honoris ſuboriri, quàm honorem ipſum auerſaretur, cum ſe ſemper, ſuaque omnia in maiorem ſolius Dei gloriam conuertiſſet. Modeſtiſſimum virum non modò magni nominis lux, verumetiàm vel vmbra ipſa terruiſſet, niſi in eum iamdiù iſtiuſmodi rebus extinctum incurriſſet. Tàm altè perpetuo eius menti, conſilijs, decretis, dictis, factiſque maior Dei gloria defixa eſt, vt hoc illi peculiare debeat elogium conſecrari. Si autem quod nonnulli quondam Eccleſiæ Catholicæ ſanctiſſimi Patres ergà ſe præſtiterunt, fas eſſet pluribus dictionibus conflatum nomen imponere Ignatio, hæ vnius, mea quidem ſententia, nobiliſſimæ vicariæ, per annales ire poſſent, eiuſque imaginibus ſingulari nota luculenter inſcribi, AD MAIOREM DEI GLORIAM. Hæc illa eſt, cuius amor graui aliquo naſcente pro aliorum ſalute, aut felici Societatis ſtatu negotio, ſi fortè magnanimus vir, aliàs imbecillæ valetudinis, inſolenti quapiam ægritudine vexaretur, ſic eius facultates corporis inuadebat, vt non ſolùm iacen-

iacentes excitaret, verumetiam maiorem quàm antè alacritatem ac robur afferret. Artem medicam nunquàm ſibi ſalubriorem nactus eſſe perhibetur. Optabilis videri poterat filijs eiuſmodi languor parentis, quo ſubindè vegetior ſurgeret. Periculum interitus ſecuritatem vitæ aſtruebat. Hæc illa eſt, ad quam cùm innocentiſſimæ vitæ rationes omnes atquè acta componeret, fiebat vt ea tranquillitate frueretur, quam nulla poſſet rerum viciſſitudo commouere. A medico æger admonitus aliquandò vt triſtitiæ nubes, ſi quæ fortè ſibi oberrarent aduecta ſerenitate depelleret, ſeſe collegit, & conuocato mentis ſenatu, diſquirit ecquis turbo excitari poſſet, qui animi ſui malaciā excuteret. Cum nullus omnino ſibi timendus videretur, medici conſilium quæſtioni, quæſtio quietis augmento cauſam præbuit. Illa deniquè eſt, in cuius gratiam ſedato animo tulit, quòd cum martyrij amore arderet, huius cupiditatis flammas ſuo ſanguine non poſſet extinguere. Nulla eius patientiæ materia maior vnquam fuit, quàm cum patiendi materia ipſa deficeret. Quis ille impius religioſi ordinis, Eccleſiæque Catholicæ deſertor, qui nefarijs conatibus ſuis Ignatio ſeſe opponenti extremos cruciatus imprecabatur? hoc, hoc, inquam, erat, quod tantopere Ignatius expetebat, pro defenſa fide Catholica: Enimuerò quod potius illi perduelli latroni debebatur pro impugnata. Non ferrum, non feræ, non ignes, nec vlla tormenta inuictiſſimi herois animum ſenſuſque flexiſſent. In vltima Indorum barbarie ſegnes in ſui cædem Leones animaſſet, vt quondam Romæ generoſus martyr Ignatius. Quis non exiſtimet ſacroſanctæ Lateranenſis Eccleſiæ veneranda loca piè obeuntem, in ipſo Amphitheatri trāſitu tanti Chriſti athletæ memoria ſolito vehementiùs perculsū, atq; ad eius ſepulchrum, illinc non longè in templo Diui Clementis poſitum, orantem ingemuiſſe, quod cōmunioni nominis ſola eſſet in exitu vitæ ſanguinis cognatio defutura? Non tamen deerit, O Societatis ampliſſimæ ac fortiſſimæ auctor ac princeps. Tu inuictorum Chriſti militum parens, relinquis tuæ voluntatis hæredes. Quam in te vno patiendi ſitim minimè potuiſti, explebis in multis, ſuperſtes quodammodò eris. Quot Chriſti cauſa vitas abiicient, ſubiturus es ipſe tot mortes, adeò vt non tam eos ſubrogaſſe, quam glorioſi facinoris ſocios habuiſſe videaris. Iam in te felicia Chriſti cauſa

Digitized by Google

tormenta propagaſti. Spectabis è cœlo Iaponum gladios in tuorum corpora laſciuientes: ſuperbos exhauſtis iugulis mucrones: interdicta carnificinis ieiunia: anguſtas ergaſtulis vrbes: grauidas ferro fodinas toto eiecto fœtu exoneratas ad vincula: leſę maieſtatis rea nemora ſyluaſque ad rogos & patibula deficiente materia: in ius vocari ſuppliciorum inuentores, ſi quod aut ad nouitatem, aut immanitatem, aut numerum ab innocentum corporibus defuiſſe deprehendatur. Eadem tibi apud Indos, aliaſque gentes theatra pandentur, vbi conſceleratorum Chriſti hoſtium parricidalis furor palàm faciet, fide perfidiam, temeritatem conſilio, audaciam fortitudine, patientia crudelitatem ita ſuperatam profligatamque, vt glorioſa pro tuis, infami pro aduerſarijs cataſtrophe tragœdia tota claudatur. Sic igitur, vt dicebam, eris in filijs parens, ſocius pugnę, particeps victorię, conſors triumphi, ad noua ſemper; in perpetua iam abs te poſſeſſa felicitate, lætitię incrementa. Quid cum neſcio quis archipirata Caluinianus, tametſi tranquillo mari, veſanis animi ventis quauis procella truculentior, 39 è Societatis hominibus, pretioſiſſimam Euangelij mercem ad exteras gentes comportantibus, diuerſis in odium orthodoxę religionis vulneribus confoſſos in altum pręcipites aget? O quàm præclarum ſpectaculum, in medijs gurgitibus nunquam fluctuante conſtantia! Innatabis in Oceanũ, Pater, ijs vndis tantiſper fruiturus, in quibus animoſæ prolis faciet, non fides, ſed vita naufragium. O fortunati fluctus, quos nullæ maiores inſtitorum opes vi tempeſtatum diſperditæ locuplotabunt! Condantur hæ recentes gazæ inter imos atque abditos maris ſinus, nulla eius viſcera ditioribus poterunt tumeſcere margaritis. Sed quid futura prænuncio? Iàm oblatæ Chriſto Societatis primitiæ te viuo, ex India in cœlum delatæ. Præceſſere filij natu maiores parentis obitum; ne, dato tam certo pignore, de aliorum qui ſecuturi eſſent æmula virtute ambigi poſſet. Morari noluerunt voluptatem tuam. Si cum præteritis futura componas, bearis vtrinque. Nondum exeunte vita, occupas initium nouæ. Cum itaquè hæc omnia inſtante ſupremo die diuina lux menti tuæ aperiret, poſtremum virtutis portentum fuit, quod exultantis animi vim coercere poſſes, ne foras erumperet. Suæ ſunt præcordijs & vndæ & venti: fremuiſſent ex te procellæ, niſi illud idem impe-

Digitized by Google

rium, quod à Deo in lacrymas iam acceperas; ſpiritus quoquè impetum frenaviſſet. Te, cum alias ſemper, tum eo maximè tempore, quo eras ad portum æternæ felicitatis appulſus, maioris diuinæ gloriæ ſidus reſpectante, nulla, ne ſecunda quidem, aura potuit tui animi æquor impelli. Nimirum tuæ exiſtimationi pertæſus, è modeſtiæ ſpecula laudum pericula propulſabas. Domeſtici te vix animaduertere potuerunt abeuntem, quem nullo quotidianæ conſuetudinis diſcrimine præſentem intuebantur. In maiore Dei gloria quieuiſti. Eugè, ſurge, agedum tandem, Heros maxime, ſic ſummus imperator ex alto iubet. Adſtat magnificentiſſimus ad pompam triumphalem currus, hoc vno ſolicitus ac nutans, tenè poſſit tot victorijs grauem ſuſtinere. Magnitudine laborat tua. Te cœlum cardinibus reuulſum, cunctante anima raperet, niſi beatorum agminibus obuiam prodeuntibus honorificas interijceret ad inceſſum moras. Honor amorem temperat. Si qua etiam in ſumma ciuium illorum concordia poſſet eſſe contentio, in tui ornatus apparatu operam, curaſque turbarent. ſeſe ſtudia ipſa in tuo aduentu impediunt. Coronæ coronis, palmæ palmis, tituli titulis implicantur. manu manus truditur, inſolenti feſtinatione operoſæ ad obſequium voluptatis. Nam quis eſt qui eos honores quibus exciperis aut cogitatione comprehendere præ magnitudine, aut oratione recenſere præ multitudine poſſit? Iam Italia, Germania, Gallia, Hiſpania, Polonia, atque aliæ ampliſſimæ Europæ regiones, iam Africa, Aſia, potiſſimùm verò India & Iaponia innumerabiles populorum cohortes, tua tuorumque opera animorum ſalutem conſecutas, in cœleſtem beatorum Ciuitatem præmiſere; quæ tibi, cùm priuatis quæque rationibus, tùm publico omnium nomine, pro acceptis immortalibus beneficijs quantas maximas poſſunt gratias agant; ac pro tàm ingenti gloria, tuis meritis, quibus ſatisfacere ſe poſſe diffidunt, a Deo præpotente collata gratulentur. Sic officia, quæ, alijs poſtea in communem illam patriam abeuntibus, ſingulæ prouinciæ in te celebrando colere numquam deſiſtent, hac prima feliciſſima luce triumphi tui præſtant, vt vides, vniuerſæ. In hoc iucundiſſimo tripudiantium tumultu, fauſtis acclamationibus, te velut alterum parentem, te bonorum cœleſtium ſatorem, te liberorum ſuorum diuinum educatorem prædi-

X 2 cant.

cant, te ad mores Chriſtianis dignos hominibus lucem, facem ad ſanctos amores, religionis Catholicæ propugnatorem, extinctorem hæreticæ peſtis, te ſuas delicias, in ærumnis ſolatium, perfugium in periculis, in morbis leuamentum; te denique ad omnem vitæ ſanctitatem exemplar appellant. Quid dicam de incredibili non paucorum, Pater, tuorum gaudio filiorum, qui capta prius, Dei beneficio, hereditate cœleſti, te præſtolantur? Hos nimirum diuina prouidentia tibi ſuperſtites in terris eſſe noluit, vt quem inde in cœlum abeuntem ſubſecuti non eſſent; nunc geminata vtrinquè lætitia occurrerent venienti. Quid cùm Xauerius ille tuus, ille tuorum operum miraculum, filiorumque dignitate ac ſanctimonia princeps, ille alterum tecum orbis terrarum decus, ſplendor, & ornamentum; iam non ſe tuis pedibus aduoluet, vt quondàm reuerentiæ ductu ſolebat; ſed caritatis impulſu in amplexus ruet? quæ mens, qui ſenſus vtrique veſtrum, cum alter alterum ſibi redditum tandem videbit; cumque tot victoriarum lauros conſociabitis? Ille dum viueret adeò te venerabatur, vt cùm coràm non poterat, per literas genibus flexis loqueretur. Ille ſermone de te cum alijs habito, ſanctum nominabat. Qualem, deus immortalis! vis veritatis non quæſitum teſtem proferebat ſanctitatis tuæ! Qui ſic igitur de te adhuc mortali & abſente ſentiebat, quanta iucunditate nunc te præſente, atque immortalitatis conſorte perfruetur? O benè ſudati labores tui! O vitæ fugientis acta ſtabili præmiorum magnitudine fortunatiſſima! Vbi nunc illæ tuæ grauiſſimæ curæ? vbi vigiliæ? vbi ieiunia? vbi ærumnæ, ſtudia, peregrinationes, ægritudines, atquè incommodorum omnium perpeſſio? Hæc vna cum præcipiti temporis curſu fluxere. horum nihil in te ſiſtit, præter mercedem perpetuam, memoria comite ad augmentum voluptatis. Sed vereor ne diſertiſſimis aliorum præconijs meæ interſtrepant inconditæ voces. Pudore perfundor, Pater, quòd nihil nec dignum tuis meritis, nec par deſiderio meo, nec congruum expectationi alienæ hactenus afferre potuerim. Verùm cùm in tuo diſceſſu non minora terris ſolatia reliqueris, quàm cœlo intuleris gaudia, qui mihi de te dicendi voluntatem iniciſti, parere conanti ſpem veniæ dabis.

ORA-

ORATIO XXVIII.

Ignatij Miracula.

COGITANTI mihi, rerumque cauſas paulò ſtudioſius indaganti permirum ſæpe viſum eſt, quòd cùm humanum genus, ſi quid in natura præter ingenitas leges accidat, inſolenti quadam admiratione capiatur; conſpecto viro, cui nulla perfectæ ſapientiæ lux, nulla virtutũ ornamenta deeſſe intelligat, non vſque adeò videtur commoueri. Equidem, niſi me fallit ſententia, id vſu venire exiſtimo, quod homini, vtpotè ratione prædito, animi bona non modo conſentanea ſunt, verumetiam debita: in cæteris verò rebus quidpiam eximi putatur de immutabili continuatione ordinis ſempiterni. Verum cùm primi hominum parentis vitio, internum in nobis, & quidem adeò graue, atquè aſſiduum innatum ſit bellum, vt prauę animi, corporiſque affectiones, mentis ac rationis excuſſis plerumque legibus, miſeros in ſuum dominatum trahant; profectò quiſquis non ſolum hanc domeſticorum hoſtium vim ac potentiam diuina ope peruicerit, verumetiam perfectiſſimi ac ſanctiſſimi viri formam in ſe expreſſam repræſentarit, hunc ego magnum in terris prodigium eſſe arbitrabor. Manifeſtum eſt quo ſpectet oratio mea. Prodiere Ignatius ac Franciſcus Xauerius, inſignia orbis terræ miracula, geminum cœlo additum decus, clariſſima Eccleſiæ Catholicæ lumina. Sic eſt. Attamen tam admirandas vtriuſq; virtutes, tam eximiam vitæ ſanctimoniam ac merita præpotens Deus pro ſua ſapientia, euidentiſſimis etiam argumentis ac teſtimonijs comprobanda eſſe iudicauit. Eorum verò tanta eſt magnitudo ac varietas, vt quemadmodum illam eximij oratoris eloquentia, ita memoria reformidet. Adde quod cùm nuſquam gentium vacuus beneficijs ab Ignatio Xauerioque acceptis vllus abeat dies, prius ſit laudatoris copia, quam laudationis materia defutura. Quamobrem pretium operæ facturus mihi videor, ſi ſumma quædam ac præcipua rerum capita tantummodo indicem, ne tam illas commemorare voluiſſe exiſti-

mer, quàm prætermiſiſſe uoluiſſe; quæ tamen cum etiam è publicis Illuſtriſs. Cardinalium, qui Eccleſiaſticis ritibus præſunt, & ſacræ, vt vocant, Rotæ, ad vtriuſque Sanctiſſimi viri apotheoſim actis, nec non è paucis hiſtoriarum voluminibus vulgò notiſſima ſint, ſtudioſa hæc prudenſq, breuitas, eo maius erit leuamentum in me laboris, & in auditore tedij. In altero ſtudium reprehendi non debebit, in altero poterit laudari conſilium. In neutro verò quidquam eſſe cenſebitur, quo tantis viris debitus honor & cultus imminui poſſe videatur. Age igitur, cum Lyſſanus ſuo nunc clarus nomine, quo antè obſcurus, Barcinone intenta ſibi lite, cauſa cecidiſſet, caſumque alium meditatus, atque in deſperationem actus, ſe literam longam è tigillo feciſſet, meliore vſu ſeſe Ignatio ſeruatori ſuo, quàm neci eo fune deuinxit. tunc enim cognita re Ignatius aduolat; laqueum recidit; impium ſui carnificem omnium iudicio mortuum ſupplicibus in cœlum votis ad vitam reuocat; vt diuino beneficio, id illi ſpatium temporis detur, quo poſſit æternæ ſaluti ſuæ conſulere. Ergò iacentem grauiter ſceleris monet, inclamat, agnita culpa, veniam a Deo petat. Ille oculos morte graues, priſtinæ, vt poteſt, aperit luci, ac preſſo vi doloris corde, ductiſque cum ſpiritu pœnitentiæ argumentis, laxat ad ſacram Confeſſionem fauces. Mox ritè peccatis expiatus, liberam, ac nihil amplius morantem animam efflat. Mirum dictu, hominem, indignum vita, potuiſſe bis viuere. Quid non poſſunt ſanctorum virorum apud Deum merita? Perpetui ſupplicij ſententiam ſtrangulato illi ſtatim debitam, ad præuiſas Ignatij preces ſuſpenderat Deus. Quo factum eſt, vt quoniam cum priori morte, poſterior dimicauit, hæc victrix, illius flagitia infamiamque viua magnanimitate deleuerit. Diuina miſericordia ex illa lite perdita, tribunal, & è clauſo per laqueum ſpiritu, viam aperuit homini miſerè felici, ad ſempiternam cęli hæreditatem, prodigo inſperati temporis momento adipiſcendã. Ille fortunatè improbus, ſuiq; amicus hoſtis, de ſuo fune, quamquam longè diuerſo, canere potuit (ſi fas hic vti vatis regij verſu) funes mihi ceciderunt in pręclaris; etenim hereditas mea pręclara eſt mihi. Texta eſt (vt piè credimus) cum illo fune felicitas, ſecretiore Dei conſilio. Elata eſt ex illo funere vita. Scelus ſibi ſaluti fuit. Funeſtus ille ac poſtremus nodus;

Gor-

Digitized by Google

Gordiano implicatior, præcipiti manu atque ictu immortali ab Ignatio pereptus, ſecum traxit aliorum omniũ nodorũ exoluta volumina. O Ignarianæ theatrum inſigne caritatis! Illi, illi, inquam, tigillo fixa trabali clauo, perpetuò uiuet tanti beneficij recordatio. O inuidendam quodammodò reſtim, ſi nullo fuiſſet attacta crimine! Ignarus ſui huius operis artifex nunquàm tàm benè explicuit manus. Verſa eſt illa tortilis rota ad ſortem bonã, ſortẽ, inquam, non Deo, ſed homini. Sorte, inquit, gentium Doctor, vocati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuae. Nulli vnquam torques huic præferendi per turgida ſuperborum hominum iuere colla. Quantò commodius hoc tibi vinculum fuiſſet Hebræe iuuenis, paterni quódam prædator imperij, cum vltrici è quercu tua illa penè parricidalis pepẽdit inſania! Comate lictor, tuoq; capillo leuior, tã diù ne reum te agnoſcere non poteras, cum ad auram fluctuantia ſuperbo vertice, tui ſemper geſtares inſtrumenta ſupplicij? Et verò Lyſſani è trabe lapſus, impulſu cauſæ alteri adiudicatæ, aliqua non indignus commiſeratione videbatur. Tu, ſolius vaſtæ ambitionis vſquequaquè ruentis arbitrio, bona, fortunas, hæreditatem, famam, vitam, teque ipſum contrucidaſti. Ille ſponte ſuo vſus eſt miniſterio, tu inuitus alieno. Ille tamen (vt ſperamus) euentu ad ſalutem: tu, vt timemus, ad ruinam: Deo miſericordi patre ergà illum; ergà te verò iuſtiſſimo iudice. Deniquè tu tantum pœnarum dediſti arboris ramo, quantum gratiarũ egit Lyſſanus Ignatio. Lyſſano iterum breui morituro, reddita eſt vita. Conuertamus oculos ad nouum Mutium, cuiue ſemper Scæuola eſſet, igne corrupta rurſus animata eſt victura poſtmodùm manus. Erat videlicet Romæ in ædibus noſtris rei domeſticæ adiutor coquus, ſimplicioris quam par eſſet naturæ, ceterum probus. Hic, non quòd in milite, opportuno regis Porſenæ ad necem vicario, erraſſet, ſed quod in Chriſtum regem regum (quod miſerę mortalitati commune eſt) deliquiſſet, immiſſam in ardentes prunas manum generoſæ imprudentiæ pertinacia diù continuit, vt illam in ara coquinaria, culparum pœnitentia imperante mactaret. Nidor deficientis lento igni victimæ, tota domo diffuſus ſacrificuli ſilente lingua, vocalis fuit. Accurritur; crudelis in ſpecioſa pietate temeritas increſ-

ceſſitur. eripitur è rogo penè cadauerea manus, ne buſtum ſubſidat ad monumentum non imitandi erga ſe odij. Patres, quamquam factum miſerti, hominem tamen mente ac manu noſtris vſibus ineptum, è Societate dimittendum arbitrabantur. Sed Ignatius, feliciore conſilio, illius incendij peſtem, roſcida conſuetæ caritatis ſuæ flamma extinxit. Solicita quippe de nocte, in preces coram Deo incumbens, oculorum fontes recluſit ad imbrium copiam. Aurora fructum aperuit protulitque. Aeger euigilans vegetam ac valentem manum in cœlum tetendit, acturus Numini gratias. Alteram manum æmulam habuit præteritę cupidam pœnę, ad vim maiorem. Rei nouitas homini attonito ſimilis ſomnio viſa eſſet, niſi veritas, rediuiua illa quodammodò, atque operoſa manu ſeſe agitaſſet ad fidem. Sic Ignatius, gemino miraculo, geminam attulit rudis innocentię reo ſanitatem: manus nimirum ac mentis. O bonæ ad omnia comites! Progrediamur ad alia. Quid enim vaticinia commemorem, cum ſæpè non tam futura prędicere, quam illa eadem vt prçſentia intueri videretur? Quid eiectos ab illo ex aliquot hominum corporibus dęmones, quem ita extimeſcebant, vt vel ad ſolam eius prçſentiam, relictis ſedibus tyrannicè arreptis, imperium prauertere cogerentur? Pœnituit ſuperbum hoſtem id inuaſiſſe, quod cedere victori pudebat. Spem corrupit improbitas: exitus fregit audaciam. Romę hominem Cantabrum, adeò rudem, vt ne patriæ quidem linguæ quodammodò gnarus eſſet, à dæmone truculentiſſimo arreptum, ac tum variorum idiomatum genere facundum, tam immani tamen rabie furentem, vt nulla eum vis coercere poſſet, aut loco, vbi ſe obſtinatè fixiſſet, dimouere; Ignatius, ſuo iuſſu in cubiculum pertractum, a tyranno liberauit. Malum Cantabri hoſpitem bonus hoſpes eiecit. Nec defuit aliquando dęmonum alter, qui peruicacia iram ſtimulante, vltrò ac palam cuiuſdam energumeni ore pronunciauit, nulli ſe in terris eo tempore inimiciorem eſſe quam Ignatio. Iſte iugulum prębuit a ſe non quęſitę veritati. Non potuit ad maiorem Ignatij gloriam luculentius inſanire. Quis neget, cui dæmones infenſiſſimi ſint, eum Deo cariſſimum eſſe? At etiam ridiculè moleſti, atque importuni videri voluere: quippè jam ab initio Lemures (genus dæmonum eſt) Laureti noſtros ex ædium parte Societati attributa, terriculamentis expellere

moliebantur. Re Ignatius Romæ per literas cognita, reſcribit, Dei auxilio freti fidenteſque bono eſſent ac forti animo. Mirum dictu, recitata epiſtola, nocturni illi Fauni ac ſpectra, occupato Ignatij iuſſu euanuere. Quid ſi præſentem atque increpantem vidiſſent, quos abſentis literæ profligabant? Nullum ad hoc vſque tempus illius peſtis veſtigium. Indicto timoris contemptu, timor omnis abſceſſit. Tenebriones, Ignatij, quamquàm tùm longè poſiti, alterius inſtar ſolis luce diſſipati. At enimuerò Ignatium duobus ſimul in locis, vno eodemque tempore, præſentem fuiſſe compertum eſt. Leonardus Keſſelius inſigni ſanctimonia vir, Societatis noſtræ Sacerdos, Coloniæ mira Ignatij videndi cupiditate flagrabat. Illum, per literas, opere orat maximo, ſe vt Romam, eam ob cauſam, peditem venire permittat. Reſpondet benignus parens, opus non eſſe tam longo ac laborioſo itinere. id quod optabat, compendio ceſſurum ad votum. Promiſſum ſecuta fides. Diuina potentia, caritatis decreto, Ignatium, vt ita dicam, geminauit. Romæ quippè perſtantem, Coloniæ conſpicue præſentem, atquè intrà ſuam cellulam priuatim ſe alloquentem Leonardus vidit & audijt, ac diuina cum illo miſcuit colloquia, voluptate deſiderium explente. Quanta vis cœleſtis amoris, cùm non ſolùm animos iungat, verumetiam amanti, amici longè poſiti atquè immoti præſentiam afferre poſſit. Et verò tantus erat eius animi ſplendor, vt vel in corpus efflueret. certo miraculo id non ſemel compertum, cum à nonnullis, potiſſimum vero a Sancto Philippo Nerio, quem ſibi magna neceſſitudine ac familiaritate coniunctum habuit, oris eius habitus viſus eſt diuino quodam ſplendore ſcintillare. adeò vt adhuc mortalis, ſpeciem quandam animi, corporiſque beati præſeferre videretur. Huc ſpectat, quod Romæ in ſacello domeſtico ſacris operanti, ita è laqueari ſub imagine globi flammei Spiritus ſanctus incubuit, vt qui ei miniſtrabat ad eum, quem communem credebat ignem reſtinguendum aſſurgeret. Eluſis naturæ legibus, ignis infimæ ſedis ſupernum ad ſe trahebat. hic contra illum rapiebat plerumque ſurſum; diuino amore beatos atque arcanos in ignibus ludos alternante. Ignatium enim cum ſecretiore in loco abditus, aliorum ſe oculis ereptum putaret, nonnulli a terra elatum, medioque libratum aere non ſemel videre. Virum ſapien-

Digitized by Google

ciſſimum pudebat, ſe terræ hoſpitem, & cœli non incolam. Quid quod vix vllus vnquàm pia mente ad eum auxilium petiturus acceſſit, ſeu cogitationum tumultu conturbatus, ſeu curarum fluctibus agitatus, ſeu ſtimulis conſcientiæ confoſſus, quem non, ô rem penè inauditam? vnico tantum, vel altero verbo, quietũ, pacatum, ſanatumque dimiſerit. Nunquam in vos illapſæ huiuſmodi ad perſuadendum guttulæ profani oratores. currant licet, eloquentiæ veſtræ flumina; eorum plerumque nullæ, niſi ad ſtrepitum, vires. Mitto non pauca de eius vitæ actis a me iam antè narrata; quæ profectò cum non naturæ, ſed ſolius diuinæ potentiæ vim agnoſcant, fatendum eſt, inter prodigia connumerari oportere. Iam verò quid de cæteris, quæ poſt eius obitum diuerſis terrarum orbis partibus claruerunt, proferam? Prodeant ad triumphi ei debiti pompam quotquot varijs morborum generibus, quorum remedia ars medica deſperauiſſet liberati. Haud mihi animus eſt ſingula percenſendi: numerus non patitur morã. Contrahã vniuerſa, ſi dixero, vix vllã eſſe corporis ęgritudinẽ, ſiue naturæ uitio, ſiue caſu aliquo adductã, quã nõ ille ſuis apud Deũ meritis precibuſque depulerit. Et quidem ea felicitate, vt non ſolùm contactæ veſtium, aut ſacri cadaueris particulæ, verumetiam eius nomen, quod ſua ipſe manu literis ſubſcripſiſſet, miras curationes edidiſſe memorentur. imò verò ſæpè contigit, vt ſolis eius propoſitis imaginibus, Daemones è cubiculis & ædibus, quas infeſtare conſueuerant, ſeſe fugę repentè mandarint. Vide ac tecum ipſe reputa, quanta ſit inſignium ſanctitate hominum poteſtas, cum vel ſola eorum ſimulachra non minùs formidoloſa ſint virtutum hoſtibus, quam cultoribus ſalutaria. Huc referri poteſt quod mihi nunc apposite venit in mentem ſacræ illius hiſtoriæ, qua Diui Petri Apoſtolorum Principis vmbra narratur ægrotis ſparſiſſe valetudinem. Hoc vmbra præſtante, quid non lux ipſa patraſſet? Nimirum nihil eſt in ſanctis viris non proficuum. Bene tibi eſt in eorum luce & vmbra. Sed & hoc quod dicam omnino memorabile. Cum videlicet aliquot annis poſt deceſſum e vita, eius corpus in Romana domo profeſſa, ex vno in alium locum transferendum eſſet, in loculo vbi iacebat paulò antè aperto, ſtellæ micantes ab ijs qui tùm aderant inſpectæ, nec non coeleſtium concentus vocum auditus, non ſine mixta cum incredibili admiratione

tione

tionè lætitia. Quis negare tum poterat Ignatij animum in cœlo regnantem, cum coeli ſidera atque angelici cœtus in eius corporis loculo tripudiarent? Verùm etſi non omnia (vt dicebā) ab Ignatio patrata diuinitus opera referri poſſint, non diſſimulandę tamen arguar culpæ, ſi me ab eo quod exactò poſt eius apotheoſim anno Munebregę in Aragonia cōtigit, ſtudium breuitatis abducat. Tot enim eo in loco ad eius effigiem intra aliquot hebdomadas miracula extitere, vt ſeculorum memoriam alere queant. quo factum eſt, vt non ſolùm infinitas è tota prouincia populorum cateruas illuc exciuerint, verumetiam nullum fuerit ijs in regnis templum religione atque hominum frequentia memorabile, quod non, per eos dies, Munebregæ de celebritate conceſſerit. Cæteris prætermiſſis, quę non capit oratio, dicam ſolùm mortalium duos inibi eſſe a morte ad vitam ab Ignatio excitatos. Quid maius poſſim dicto comprehendere? Maxima quęque ſua nuditate ſe produnt. plerumque oratori cauendum, ne fortè ingeſtis verborum luminibus inumbrentur.

ORATIO XXIX.

Franciſci Xauerij miracula in elementis.

SED iam me ab Ignatio parente fortunatiſſimo, ad Franciſcum Xauerium, omnium quos ille Chriſto genuit filium præcellentiſſimum progredientem, tantum a dicendo inſignium operum ac prodigiorum magnitudo deterret, quantum ad hoc ipſum me ſentio hac poſtremi debiti perficienda ſolutione compelli. Huc accedit, quod admiratio ſibi narrationis locum occupat, & temporis curſum. quamquam (vt ingenuè fatear) ſic oratorię facultati tacitum confertur beneficium, dum periculo deficiendi exempta, ſine labore ſe tuetur. Etenim ita Xauerium heroem maximum ac Chriſti miniſtrum adhuc mortalem, diuina potentia ſupra naturæ leges extulit, vt eo ſtante, veluti medio rerum arbitro, impares illa vires grandia decernenti non ſubtraheret, ſed ſubderet imperanti. atque adeò illius nutum obſer-

uabat, vt non quid poſſet attenderet, ſed exequeretur quod ille Chriſti au ctoritate iuſſiſſet. Aequum enim erat, vt quem Deus opt. max. ad Iaponios, gentem anteà ignotam, atque ad alias barbaras Orientis nationes, miti ac diuino Chriſti iugo ſubigendas legauerat, Chriſtianam religionem non ſolum doctrina vitęque ſanctitate animatam promulgaret, uerumetiam, quod olim, Eccleſia naſcente, ab Apoſtolis præſtitum eſt, frequenti miraculorum uſu comprobaret. Ludant de ſua in fabularum fritillo leuitate atque inſania ueteres poetę; efferant ſeſe ad incruſtandos puerili picturarum ludibrio parietes ingenioſa capita. Statuant neſcio quem ad fulmina Iouem, Iunonem ad nubes, ad undas Neptunum, Aeolum ad uentos, Vulcanum ad ignes, ad terras Opem, Martem ad arma, ad robur Herculem, ad facundiam Mercurium, Faunum ad ſementem, Cererem ad ſegetes, Lucinam ad partus, ad morbos Aeſculapium. Eruant alias atque alias innumerabiles laruas de tumultuarijs popinarum patellis ac poculis, ac coenoſo gregum laſciuientium ſtabulo, quarum ſingulas ſingulis rebus, ſola deliriorum auctoritate, præficiant. O quales hiſce poetica ſomnia grauidata ſeminibus fudere quondam cæcis gentibus Deos! O qualia, è luto & argilla, aut, ne ex hara ſuum ebullientia tam citò putreſcerent, è lapide & metallo numina procrearunt! Tuum, Franciſce Xaueri, tuum, inquam, cum Orienti, ſole ipſo illuſtrior, lucem afferres, in hominum mentibus regnum, ad vnius ac veri Dei agnitionem cultumque flectendis; tuum in elementa, tuum in res omnes, maius dicam, tuum in Deum ipſum eius in te amoris iucundo placito, imperium fuit. Nulla huic laudi audacia præſidio eſt. Etenim cum ea quæ feceris, fieri non niſi Numinis præpotenti virtute potuerint, an nefas ſit aſſerere, illud tuo annuiſſe deſiderio, paruiſſe voluntati? Quid? nonne ſacræ litteræ, ſummi quondam Hebræorum ducis ac iudicis victoriæ inaudito antè prodigio de Gabaonitis partæ, celeberrimam hac breui ſententia hiſtoriam claudunt! *Obediente*, inquiunt, *DEO voci hominis*. Orationem tecum in auras primùm rapis. Dicamne te diuinitùs humo ſurſum euectum, medioque ſuſpenſum aere ac ſublimem, ab omnibus frequentiſſima concione plerumque conſpectum, idemque tibi tùm ſacris operanti, tùm preces Deo fundenti ſæpiſſimè contigiſſe? Talem aer hoſpitem terris inuidebat;

Digitized by Google

debat; cœlum reperebat ciuem. nec immeritò ſanè, cum eſſes ab omni terreſtri contagione ſemper auulſus. Dicamne ſæuientibus procellis, per te, deterſa coelo caligine nimbiſque, ſereniſſimos pijs hominibus repentè fulſiſſe ſoles? Contrà verò ad terrorem truculentiſſimæ Tolanæ gentis, quæ a Chriſto non ſolum defecerat, verumetiam in Chriſtianorum cædem & exitium ferebatur, iubente te, inuoluto teterrimis tenebris die, ac debacchante vſquequaque tonitruo, pluiſſe cinere, grandinaſſe lapidibus, vrbem ipſam Tolum foſſis illo imbrium genere completis, moenibus eo coeleſti tormentorum furore dirutis, a Luſitanis captam ac euerſam? Monſtrum pertinaciæ fuit, ſi neque inflammata illa barbarorũ odia cinerum torrentibus opprimi potuere, neque ferrea pectora ſaxorũ fulminibus frangi. Sed quid tibi familiarius fuit, quàm cum vſus eſſet, modò ſecundos ciere ventos, modò aduerſos compeſcere. nimirum tibi ſemper obſequi, vnum illis erat ac ſummum obſequij præmiũ. nulla maior domini felicitas. Quæ porrò diuerſis Africæ, atque Aſiæ locis tanta cœli grauitas, aut aeris intemperies, quam non tibi, homini peregrino, ductu numinis quo plenus eras ſpiritu, temperaueris? hoc viuere eſt immortalium more ac modo. Conſociauit ignis debitam tibi cum aere ſeruitutem, qui tuum non ſemel imploratum ab incolis nomen reueritus, comprehenſis confeſtim exceſſit ex ædibus. Non alius opportunior ac copioſior aquarum ingeſtus. Neque verò ad tuos nutus ſegnior terra, quæ, te imperante, horrendis concuſſa motibus, obfirmatæ impietatis homines, quos flectere virtutis amor non poterat, fregit timore ſupplicij. Cui tu mortalium nocere vnquam potuiſſes, qui nullam, ſine beneficio, pœnam irrogaſti? Te iraſci optabile fuit. Grauida indignatio in partum ſalutis recubuit. Hoc vnum ſortiri poteſt improbitas bonum. Age nunc quartum Xauerij triumphum, attonitas non antè ſpectata pompa per vndas. Abs te qua toto patet Oriente oceanus, tot ſunt in omnium oculis congeminata portenta, vt illius immenſitas oratorum facundiæ ſit anguſta. Tuæ poteſtatis amplitudo fluctus ipſos ac gurgites ſorbet. Non tàm mihi pertimeſcendum in vndis, quàm tua in laude naufragium. tranquillatæ, tuam potentiam agnoſcunt; certam expectant agitatæ clementiam. Marina fides tuæ commiſſa, ad cognata ventorum arbitria obſurdeſcit. O

quo-

quoties tuis natura decretis reuerenter ſuccubuit, cùm te naufragiorum defenſore, nautarumque patrono, non minus tuta eſſent turbulento mari nauigia, quàm pacato. imò verò, qui tecum aliquandò vecti eſſent, ſi te comitem ſubinde habere poſſent, blandienti elemento, quamuis nullo ſoluto pretio, ſeſe committere, te abſente, non auderent, furenti, te præſente, magna mercede, pro vectura ſupplicarent. Te auſpice, illis erat pro ſecuritate periculum. Vos teſtes appello non modo Chriſtianorum, verum etiàm à vera religione aberrantium hominũ globos, poſthabitis alijs, quamquàm firmiſſimis nauibus, in eam, quam ſors Franciſco primam obieciſſet tumultuario impetu conuolantes. ſpecies obſeſſæ arcis repræſentari videbatur. nulli vnquàm milites tanto animi ardore in muros euaſere primi. hos vt hoſtes animat cupiditas vel prædæ, vel gloriæ; vos, Franciſci cultores, veſtræ ſalutis, eius præſidio tutandæ, cura rapiebat. Te præter cæteros producam Maure mercator, qui duplicato naulo nauarchum exoraſti, vt in eodem, quo Franciſcus, admitti nauigio poſſes. Sapiens inſtitor, non tam vecturę, quam præſidio mercium, pretium conſtituendum eſſe iudicauiſti. Vos denique teſtes, O rem ſeculis omnibus inauditam! teſtes, inquam, eſtis Hebræi, Mahometani, Ethnici, alijque barbari, qui Franciſcũ Xaueriũ, nó magis audita, quã perſpecta ſanctitate, ac prodigijs terra mariq; patratis, deum terræ ac maris, communi ac publico nomine vocitaſtis. Sed vt tecum, Xaueri, coepto per Oceanum curſu, prouehatur oratio mea, incertum, pluresne tempeſtates, dum ingruerent, occupaueris, an iam exortas pari felicitate ſedaueris. Quid memorem, quàm ſæpè modo herentes ſyrtibus naues, illicò abreptas in altum retruſeris, modo in eas, procellis inimiciore malacia, immotas, ventos intuleris, modo ad ſcopulos nullo vulnere alliſas in rectum iter reduxeris, modò deniquè cum ſolutis compagibus aperta latera fluctibus dilargirentur, manifeſtiſſimo exitio comites omnes, nunquàm interciſis caritatis tuæ munimentis clauſos, exemeris? Sileamne efferueſcentes irati maris æſtus, ſemper æquabilis tuæ mentis, placidique oris fauonio mitigatos? aut ſi quando inuidioſa dæmonum arte tranquillitas inſanos turbines euocaret, retorto in eorum caput impetu, tartarea conſilia ventorum ceſſiſſe ludibrio? Rem huius generis vniuersè verbo comprehendam.

dam. aio, vix vllum eſſe maritimum periculum, è quo non vel præſente, vel inuocato Xauerio, quilibet mortalium liber euaſerit. Sed quis tantam hominum multitudinem, imminentibus certiſſimis naufragijs ſaluam incolumemque ſeruatam demiretur, cum naufragi non pauci, iam abſorpti gurgitibus, ſeſe, illius ope, mortis faucibus erutos fuiſſe profeſſi ſint? imò verò ipſemet, vt olim gentium doctor, ter è fundo maris emerſit. Verùm maritimæ illius potentiæ nullum videtur argumentum illuſtrius, quam quod ſi forte interdum, vel vrgente inter anguſtias temporis neceſſitate, vel aliarum nauium penuria, quampiam annoſam, infirmam, rimiſque fatiſcentem, ſibique, non itineri commodam nactus eſſet, ſeſeque in eam quamplurimi, firmiſſimo eius auxilio nixi, certatim conieciſſent, ſubortis ſubinde fœdiſſimis tempeſtatibus, feliciſſimo curſu; magnanimam pietatem, in eum quò tenderet animorum emporium cœleſtis Numinis aura perduxit: et tamen eo ipſo tempore, eodem maris tractu, iiſdemque procellis, valentiſſima nauigia miſerrimè lacerata, atque obruta, ſpargebant exempla humanæ fiduciæ, non fortunę. Quicumque faſeli, celoces, corbitæ, actuaria, cuiuſuis denique generis naues Franciſcum tuliſſent, ſeu malè materiatæ, ac ruinoſæ, ſeu benè compactæ ac robuſtæ, ſine delectu ab eius cultoribus, aut inuentæ rapiebantur, aut conquirebantur ignotæ: Charo pericula pretio emebantur. Sed irritamenta naufragij, fiebant inſtrumenta ſecuritatis. Solenne tum nauigantibus erat, intereundi opportunitate paciſci ſalutem. ſed iuſta ratio temeritatem arcebat, & ſumma in eum fiducia metũ. Dum ille toto vagaretur oceano, non vehi nauigijs, ſed illa vehere videbatur. Nulli vnquàm nauarchorum animi, Xauerij, quamquàm adhuc mortalis, propitio ſidere, in ſumma vndarum agitatione fluctuarunt. In media ventorum rabie trepidanti, ac ſuæ artis propè ignaro gubernatori, Romanæ quondam euerſor reipublicæ, quæ tua, inquit, iſta formido? ne dubita. fortunam Cęſaris vehis. Cæſaris fortunæ (quæ nulla eſt) vectorem bono animo eſſe oportuerit, certa orientis ſalus nautas non tutos, non alacres, non vbique reddat interritos? Vnus ego toto illo, Franciſce oceano, qui ſe tot gentibus, ſub tua tutela, fidum hoſpitem, ductoremque ſubiecit, vſquequaque diſpereo. E' multiplici ac æmulo rerum illic abs

te

te geſtarum concurſu nouum tempeſtatis genus dicentem, vehementius quàm ferre poſſit, exagitat. Oratorum pręconia in te ornando omni ex parte confligunt. honorum procella eſt. Concordi ventorum in tuam gloriam conſpirantium diſſidio, modò in hos, modo in illos gurgites reuoluor. Si tot inter naufragos, quibus præſto fuiſti, ſolus deſeror, nulla me in hoc æſtu cura ſolicitum tenebit. In exitium glorioſum decurret oratio mea; fluctus huiuſmodi in nullius vnquam iacturam redundabunt. Itaque pergam vt potero. noua me vocant. Cum igitur tua, vir fortiſſime, poteſtas impoſuerit maris ferocię iugum, quid mirum, cum illud præterea, lenocinante tuæ humanitatis edicto, cũ vſus poſceret, naturam propè mutauerit? plerumquè ſiquidẽ, facto cum ſale diuortio, ſeſe tuæ dulcedini maritauit. adeò vt ſiti (frequens, atque intolerandum nauigantium malum) ſocijs anhelantibus, ac propè conſumptis, lacteos liquores propinarit. Sic cum vndarum hauſtus alijs animam expellat, alijs abeuntem inhibeat, illis per te reuocata, his ſeruata, diuerſo prodigio, pari beneficio, vita. Quid? nihilne de eo, quod immenſa moles aquarum continet, ſquamoſo animantum genere dicimus? Te Xaueri regem, te dominum agnouere piſcium greges, cum ad tua iuſſa, quam ad natandum proniores, deſperatis piſcatorum laboribus, caritatis tuæ venatico ſigno, retia ſaginarunt. Da veniam profanos annales melioribus factorum tuorum ſpectatoribus emungenti. Triumuir Romanus, quem præſtigiatrix Aegyptia, ex imperatore belluam factum, amoris eſca rapuerat, Peluſij piſcatu gloriam nequicquam aucupatus, vrinatores clàm vndis ſubmiſerat, quorum miniſterio prædam inductam efferret. Non ita multò poſt, verſuta mulier, iiſdem ſubornatis, qui ſalſamentum Ponticum illius hamo pro piſce innecterent, omnium riſu ſimplicis hominis pudoremne dicam, an ſtuporem excipiente, piſcare, inquit, vrbes ò imperator, hanc nobis alteram pauperibus Aegyptijs piſcandi artem permitte. Hic fuit luſus non minus ad ſcommata & iocos, quam ad ſua commoda & rationes compoſitus. Faceſſant iſtæ nugæ. Tuum erat, Franciſce Xaueri, & piſces, & oppida, & prouincias, & regna piſcari, non tibi, ſed Chriſto. In cœleſtem ſagenam omnia conuerriſti. Sed quid hoc, quod meis iã ſeſe oculis obijcit? Quis ille nouus vndarũ legatus? O factum non minus firmum ad fidem, quam admirandũ

ad

Digitized by Google

ad nouitatem! O ſpectaculum, vt nullis retrò ſeculis exhibitũ, ſic poſteritatis memoriæ tranſmittendum! Lapſa fortè in vndas Chriſti e cruce pendentis effigies, qua tùm prætenta, Xauerius turbulentiſſimum mare pacauerat, nubes illas ac turbines in animum illius tranſtulerat. Dici quippe vix poteſt quanto proptereà dolore perculſus ſit. Ergò poſtridiè Baranulam inſulam quadraginta paſſuum millibus indè diſtantem, quò ex Amboino nauigabat, appulſo, atque in littore, non ſine fletu ac pijs precibus, inambulanti; ecce cancer inceſſu magnifico, ſummo mari prodire in conſpectum, illudque ſignum auguſtiſſimum, vtroq; lunato, & coeunte in orbem brachio, geſtare, præferre, viroque ſanctiſſimo, non tanquã amiſſum, ſed creditum pignus reddere. O generoſe Chriſti vexillifer, nobilioribus digne poetis, quàm ijs qui neſcio quem olim cancrum, Herculei calcanei morſus præmio, inter ſigna cœleſtia retulere. Serpat in eorum fabulas malus cancer, illaſque corroſas abſumat. Tu illo priore detracto ſiderum choris ſubrogandus. Tu poſtmodùm cœli conſpicuum decus affulgere nauigantibus poteris, quos tui memores, ſi quid in mare caſu exciderit, recuperandi ſpes, opitulante Xauerio, conſolabitur: extabit è iactura miraculum. Nec deerunt inter aquatiles incolas, qui te anteſignanum ſequantur, ſi quando viris ſanctis ſua præſtabunt officia. Denique, cuſtos fideliſſime, tanto reſtituto depoſito, factus es immortalis. Et ſanè illam ſui conditoris imaginem Oceanus intimo ſinu ſuas inter opes obſeraſſet, niſi meminiſſet Palæſtinos fluctus illius quondam plãtis fuiſſe calcatos: non auſus eſt hoc nouo theſauro, reuerẽtia religionem obijciẽte, diteſcere. Didrachmo olim piſcis ore delato, Apoſtolorum princeps pro ſe, Deoque rerum domino, tributum mortali principi ſoluit. Xauerio legionares piſcium copiæ tecum vniones omnes ac margaritas, quotquot natura maris penetralibus abdidit, erutas, ad huius vnius ſimulachri poſſeſſionem, pro portorijs, tributis, ac vectigalibus obtuliſſent. Xauerij pietas, ſi exorari potuiſſet, vos mutos, confeſtim vocales reddidiſſet; quos aliquando hæreticorũ obſtructis pertinacia ſenſibus, in littore Ariminenſi Diuus Antonius Olyſſiponenſis fecit auritos. Vaſta piſtrix vatem, Niniuitas refugientem, conceſſum mari piaculum, intra viſcera conditum, triduo poſt in continentem expoſuit. An ſi fortè hãc demerſam vatũ princi-

pis effigiem vtero collegiſſet, non ſecus ac a ſe conceptum fœtum fouiſſet, coluiſſetque, certo ſemper amore; dubio partu, niſi vnica Xauerij gaza, fuiſſet beluę delicijs præferenda.

ORATIO XXX.

Xauerij alia inſignium miraculorum genera.

NVNC igitur palàm fit omnibus; elementa omnia, vt hactenùs dixi, Franciſco Xauerio, ad hominum ſalutem, atque adiumenta ſingularia, exhibuiſſe famulatum. quamquàm interdum de intolerandis quorumdam barbarorum in Chriſti cultores iniurijs ac perfidia iuſtiſſimo ſumpto ſupplicio, ceteris hominibus documento fuere, nec ſcelerū merito deeſſe poſſe quod expaueſcerēt, nec virtutis ſtudio, Franciſco fauēte, quod ſperarēt. Quid cætera perſequar? Quàm carior eſt mortalibus vita, eo maiorē beneficio ſeſe ab illo affectos eſſe ſenſerunt, quotquot a mortiferis ægrotationibus, ſumma illa, qua erat apud Deum gratia, vindicauit. Eorum numerum referre ſi velim, præ labore langueſcet oratio mea. Tùm verò, quid abs te, Xaueri, ſperet, quam tu ipſe infirmam reddis? Et ſeſe tamen ad certamina, transferre, iam cogitur. neque enim minus in prælijs tua miracula claruere. Tuarum apud Deum precum vis ferro potentior; & numero & robore formidabiles immaniſſimorum Chriſti hoſtium fudit exercitus. Senſere quid poſſet Badagæ, truculentiſſimorum inſtar luporum, in recentem Chriſti gregem ruentes, cum tu ſolus, tua obiecta præſentia, nudus atque inermis eorum legiones ſpiritu diſſlauiſti. Præſentiam dico? immò verò abſentia ipſa cœleſtibus armata votis, Luſitanis tantum ducentis maritimo bello dimicantibus, quinque barbarorum millia in Chriſtianorum cædem coniurata, præter omnium ſpem, opinionemque deleuit. Sic animi tui fortitudo & conſtantia, cum illo vtroque nouo victoriæ genere de gloria decertauit. Neque pretermittam, nutantē interdum pugnandi, aut hoſtes inſequendi conſilio ducum, fauſtus tuis vaticinijs eos

eſſe

eſſe firmatos ad ſpem, animatos ad pugnam. Cum felicis prælijorum exitus eſſes non minus certus vates, quam iuſtiſſimi principij conſcius, collatis ſignis, Chriſtianorum exercitus ſe prius victorem ſenſit, quam dimicaret. Victorias fefelliſti. Te vatem in prælijs dixi? Enimuerò conſtanter affirmare auſim ceteris etiam in rebus multò facilius tibi fuiſſe, quæ alij facturi eſſēt prædicere, quam omnibus præſtanti memoria oratoribus quæ abs te geſta ſint enarrare. Tibi ad Dei gloriam, ſaluti hominum vacanti, futura prænunciare, præterita recolere, præſentia intueri, par vnius negotij ratio fuit. Temporis partes vni Deo adhærentem non diuidebant, neque opus erat fabuloſo bifronte Iano. Tene Velli, nobilis in India mercator, teſtem laudabo, cui profuſa in pauperes liberalitas, prædictione ac ſponſione Xauerij, ſic Deum debitorem quodammodo fecit, vt nihil tibi neque ad vitæ honeſtæ commoda & fortunas, neq; ad pium mortis apparatum defuiſſe perſpexeris? compluribus annis in ſumma rerum varietate feliciter exactis, diem horamque obitus, numinis monitu, præſensiſti. Sanus, vegetus, integris viribus, peccatis ſacra homologeſi expiatis, cœleſtique ferculo ac viatico paſtus, ac munitus, amicos adis, poſtremum vale dicis. mirari oēs: ſtupere: de rei nouitate ſciſcitari. Intereà loci in tēplum te confers. Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium pro mortuis Deo, te poſtulante, offertur, ſtatim atque te ipſe feretro coram altari compoſuiſti, ac pullo velamine circumtegi iuſſiſti. Sacris peractis, qui intererant, te ſereniſſimo vultu veluti quieſcentem, ac mortuum, viuo ſimiliorem, reperiunt. hæc Xauerianni de te vaticinij gloria, quo inſignis erga egenos homines pietas, tuæ te & vitæ & mortis arbitrum fecit. Mortem occupaſti, ne illatis in te manibus ſeſe iactaret. E uita tū exceſſiſti, quia excedere placuit. Tarda erga te futura moriendi neceſſitas, magnanimæ tuæ libertatis imperio gradum corripuit, vt tua poſteritas dicere poſſet, non magis neceſſarium tibi fuiſſe, quam liberum mori. Mors inſidiari ſolita incertæ mortalium vitæ, abs te ſe ſenſit eluſam. Tu ipſe diem ille dixiſti ad tribunal naturæ, eo tempore de te minimè cogitantis. Venit, ſe ſiſtit, obſtupet, ſe viuam credit, quia te morientem aſpicit. Te tamen mox vita exuto, nullo præuiæ ægrotationis vocata nuncio, adhuc de tuo interitu viſa eſt aliquamdiu ambigere. Hæſiſſet diutius, niſi lugu-

bres tuæ familiæ voces illi fidem feciſſent, vt tibi iniuriam. Tu tui, Velli, funeris inſtructor ac ſpectator fuiſti. tu te extuliſti. tibi viuo luxere funalia. tuæ ſacerdotum choro, pro te oranti tacitè permiſtæ ad ſuperos iuere preces. Has inter meliore dignus vita, non minus ſano corpore, quàm mente, in alteram euolaſti. Mortuus es tamen. Quid ſi quidpiam propè mortuum Xauerij prædictione immortale dixerim euaſiſſe? Nauiganti per Indiam Xauerio incidit aliquando nauis, non ſolum aduerſis caſibus grauiter obnoxia, verumetiam cuiuis prona naufragio, vtpotè annis grauis, debilis ac prope corrupta. In hac ille ſe mari committit. mox inſana furente procella, ipſoque cum ceteris territo nauarcho, obiecto timore conſtantior factus; cõfirmatiſque omnium animis, illam ipſam nullo vnquam tempore interituram prædicit. Fauſtum omen, ſucceſſu falli non potuit. Illa poſtmodum ſeipſa valentior ac diuturnior, cum per varia itinera, ſexcentis perfuncta periculis, viuendi finem facere non poſſet, ſicut antea in armamentario, artificum manu conſtructa fuerat; ita in eo tandem ſoluta eſt. Nulla vnquàm, quod ſciam, hiſtoria ſimili facto memorabilis fuit. O nauem in coeleſtem ſtationem inter fulgentiſſima ſidera transferendam; non autem illam quæ fabuloſos vexit olim è Theſſalia in Colchidem Argonautas? Illi breui leuique curſu Inſere, ad vellus aureum è parum tuta, mulieris fraude, draconis cuſtodis vigilantia, in patriam aſportandum. At Xauerius, vt homines, non aurea ouis lana ornandos, ſed pretioſo coeleſtis agni ſanguine abluendos, ex immaniſſimis Tartarei monſtri vnguibus eriperet, quas non fatigauit oceani vias, quos non ventos ac nautas exercuit, quas non ſyrtes, ſcopulos, tempeſtateſq; contempſit? Non alia Colchis, non aliæ Indorum merces, non aliæ denique illi, eiuſque ſocijs fuerunt, ſunt, & erunt fodinæ. Iam verò ſi quis fortè alia Franciſci vaticinia, è quorum ritè comprobatis, centum quinquaginta in ſacris Romanæ Curiæ tabulis extant, commemorare pro dignitate ſe poſſe confideret, ego me illius, non dico futuræ vatem, ſed præſentis temeritatis cenſorem profiterer. Duorum tantum qualiſcumq; narratio ita me terruit, vt malim ſilentio animum componere, quam metum plura dicendo prouehere. Quo fit, vt, cum ij, quos ſacræ literæ prophetas appellant, in ea etiam, quæ longiſ-

ſimis

ſimis diſiuncta ſunt locorum interuallis, pari mentis ferantur intuitu, quantum hoc quoque miraculi genere Xauerius hominum animos ad officia pietatemque perpulerit, prætermittam. Quid enim illud? quam nouum! quam ſingulare! cum Malacæ, in templo, coram frequentiſſima concione, nauale prælium, quod, vt ſupra dixi, exigua Luſitanorū phalange, cōtra amplā Turcarum, aliorumq; perditiſſimorum Chriſti hoſtium claſſem, trecentis procul ab ea vrbe paſſuum millibus, eo ipſo tempore gerebatur, repentina vi Numinis excuſſus, interrupto ſermone, ſumma fide narrauit, ac certaminis ordinem victoriamq; amœno ingenio, peritiaque deſcripſit. Vel ab illo nihil quodammodo abeſſe, vel ille animo vbique præſens eſſe videbatur. Animo dixi? Enimuero & corpore duobus ſimul aliquando viſus in locis. Sic ſe res habuit, iucundo planè miraculo. Redeuntem è Iaponia ferebat fortè, in quodam oceani tractu, nauis oneraria; mox periculoſa tempeſtate inſaniente, nautas inuitos ſubſiſtere iubet, donec lembus, quem oēs iam alibi naufragū arbitrabatur, ipſe verò ſuis apud Deum precibus ſeruatum præſtolabatur, accederet, (certior fide rei quam narro veritas) lembo tādem cœleſti ope illuc appulſo, qui eo vehebantur, cum in onerariam illam tranſeunt, magnopere inſtant, ut Xauerius vna ſecum illuc delatus, in eandem recipiatur. Nautæ ac vectores onerariæ mirari primo; Xauerium apud ſe eſſe teſtari. illi contra, ſibi illudi, in lembo eſſe Xauerium, ſibiq; curſum eo præſente atque opitulante tutum ac proſperum fuiſſe. Vmbratilis ludus tandem in ſtuporem verſus; nullo vtrinque mendacio, ſed vero vtrobique comperto prodigio. Sedata eſt omnis illa cum maris tempeſtate contentio. Sed & eidem diuinitus datum, vt occultas hominum cogitationes manifeſtè perſpiceret. Dixiſſes, Franciſcum aut in ſecretiore diuinitatis, quam nihil latet, ſinu abditum hominem, aut veluti alterum in terris Deum. Quanta ſingularis ac heroica virtus colligit priuilegia? Ac & illum loquentem, ſi lubet, audiamus. Intelligi non à nemine poteſt. Non ſunt vllius aures ad interpretem diuidendæ: quid enim, Deus immortalis? a temporibus Apoſtolorum, ad hanc vſque ætatem, ſic nouum atque inauditum, quam hominem, Nauarræum & aduenam Orientalium omnium idiomatum, quorum incredibilis erat multitudo ac varietas, non dico prius rudem,

 ſed

ſed prorſus ignarum, repentè ſolo illo diuino Spiritu, qui quondam ſeſe in Apoſtolos per linguas igneas fudit, ita edoctum, vt qui ad ſingulas nationes miſſus eſſet cœleſtis magiſter, earum linguam incredibili omnium admiratione calleret. Concidat Socratis iactantia, qui cuias eſſet interrogatus, ſeſe mundanum eſſe reſpõdit. Philoſophi tñ iſtius perſonata erat veritate ſuperbia. At cum Franciſco Xauerio, non minus ſui quã rerum humanarum modeſto contemptori, nulla fuerit, dum viueret, præter mũdum patria, nulla ſedes, nullum hoſpitium, non alia illi quoque fuit, niſi mundi lingua; quæ cum in tot, ac tam diſcrepantes partita ſit, conſequens eſt vt adeò inſignem ſalutis æternæ præconem, a mundi cõditore ac ſalutis auctore Orientis idiomatis fere omnibus imbutum fuiſſe fateamur. Verum & hoc præterea non ſolum admirationem auget, ſed etiam creditu perdifficile videretur, niſi tot ille teſtes habuiſſet, quot auditores; nimirum quod cum ad infinitum populorum coetum de diuinis rebus verba faceret, vna eademq; illius vox ita in omnium aures incidebat, ut ea ſuũ cuilibet eſſet idioma. quo fiebat, vt, attonita cõcione, ſingulas gentes doceret, dum loqueretur vniuerſis. Multarum linguarum intelligentiam & vſum, ſtudio & exercitatione ſibi comparare, magnum eſt: at vno ab ore, vna dialecto, vno eodemque tempore omnium ſimul idiomatum diſcrimina ſpargere, ſolius eſt diuinæ facultatis. Cum enim Dei natura & ſimplex ſit & infinita, neceſſe eſt vt res omnes abſque vlla earum diuiſione contineat; cum igitur voces ſint intelligentis animi partus ac notę, profectò vna Dei vox ſi voce vteretur, rerum omniũ notiones, intelligentias, hominumque ſermones exprimeret. Quamobrem negari non poteſt, quin Numen ſumma, & extra ordinem adhibita potentia in Franciſci mentem, eo quem dixi modo, cum opus eſſet, loquentis, illapſum ſit. Quot igitur ita concionantis verba, tot fuere miracula. Credibile eſt illas diuerſarum Orientis gentium cateruas, patentibus in campis, ſuſpenſo veſtigio pię multitudine ac ſtupore fluctuantes, ſic tacitè ratiocinatas; vnine genti diuinus hic Eccleſiaſtes, an omnibus ſimul loquitur? Enimuero non omnibus; vna ſiquidẽ eſſet omniũ lingua: Itaque vni tantum. at ne id quidem. Eũ enim omnes intelligunt. Quid igitur? vtique, neceſſarium videtur, ut eo diſſerente aut ſuam quæque dialectum percipiat, & alienam, ſed

quænam ab illo vſurpetur ignoret, aut vt ille vnum idioma in omnes diſsipet linguas. Sic cum in auditorum omnium aure certiſſima; ambiguum omnino ſe ſe verſaret iudicium, non dubius eſt animorum fructus ex illa coeleſti, ac planè prodigioſæ Franciſci facundia conſecutus. O iucundi diſſidij concordia ſalutaris, oratore domino, & concione ad iuſſa procurrente! Turris quondam illa ſuperbiæ, à Nohemi nepotibus ad propagandam ſui memoriam nominis erigi coepta, duratoq; firmata lapide, ac bitumine, non alio ariete, niſi molli diſſidentium linguarum pulſu euerſa eſt. In diſcordiam quippè verſo conuentu, os loquaciter mutum ſurda manus ſecuta eſt. Spectator aderat ſupremus temeritatis vltor. Diſsiluere, non ſibi, ſed ſoli Deo debitæ gloriæ coniurati latrones. Sic illa moles non altiùs prouecta, ſed tandem diruta, operoſæ ad ruinam ſtultitiæ monumentum fuit. At Xauerius, vt tot, ac tam varijs gentium populis iter monſtraret, quo poſſent in coelum conſcendere, ita eos modò hic modo illic alia atque alia vſus lingua, diuinitùs ab omnibus intellecta, vna cum Chriſtiana religione modeſtiam, ac ſui depreſſionem edocuit, ita eorum voluntates non antè nota illis caritate deuinxit, vt non tam ſermone, ac moribus diſtincti, quàm animis, ac virtute coniuncti, fragili ſui ad poſteros commendatione neglecta, ſolidę glorię fruitionem, ſi vellent, Dei beneficio compararent. Hoc tam diuino, ac tam ſingulari dono, aliud quoquè affine quidem, ſed multò excellentius in Xauerio fuit; nimirum cum plurimis iiſdemq; grauiſſimis occupationibus diſtineretur, ad redimendas rapto tempore moras, ita ſingulis, quibuſcum agebat, diuerſa percontantibus aures diſpenſabat, vt tunc collectis memoria interrogationibus, vno tantum reſponſo omnibus ſimul ſatisfaceret, vnaque ſententia varias quęſtionum difficultates nodoſq; diſſolueret. Vnum eius verbum, vna dictio, vna vox diſperſum plurium intelligentiarum ſemen eſſe videbatur. O inauditum in omni memoria oraculi genus! Quam benè cederet rerum dominis, eiſq; ſubiectæ multitudini, cui commodant aures, ſi tali in negotijs facere compendium poſſent! Quid quod aliquando cum ingentem hominum multitudinem ſacro fonte ablueret, omnium humeris ſupereminens ac gigantis inſtar, vt ab omnibus conſpici poſſet, apparuit? At & hoc affine, quod cum ad ſummam venerationem genibus nixus,

coe-

coeleſte ferculum populo miniſtraret, Chriſtus ſe ſe humi abijcientem ita erigebat, ac ſi conſueto aliorum ſacerdotum more ſtetiſſet. Dei celſitudo cum pia hominum humilitate decertat, nec ſe, niſi ea in altum euecta, victricem gloriatur. Admiranda profectò ſunt, quæ hactenùs mea, vtcumque, oratione percurri: verùm id quod me iam ad ſe vocat, eiuſmodi eſt, vt animi præſtantiſſimi, rem paulò attentiùs verſantis, acies hebetari videatur. nequè minùs in credendo fides, quàm in dicendo eloquentia laboraret, niſi certiſſima quæ ex Orientis prouincijs extant teſtimonia, ſummorum Pontificum auctoritate, ac iuſſu Romæ producta, recepta, & rata veritatem ſic aſtruerent, vt nemini fas ſit ſine grauiſſimo genere impietatis ambigere. Atquè vtinam heros ille potentiſſimus, ita differendi vim, ſi qua vnquàm in me fuit, propè iam extinctam animaret, quemadmodùm plurimos à mortuis excitauit. Quid enim vel audiri vel cogitari tàm incredibile poteſt, quàm ab illo quinque ſupra viginti homines, vitæ, quam aut caſus, aut naturæ conditio ademerat, reſtitutos? Et quidem eorũ tantũmodò numerũ commemoro, quẽ, Illuſtriſſimi Cardinales, qui ſacris ritibus præſunt, approbatum protulerunt. nam aliorum quos communis in Oriente fama vulgauit multitudo multò maior eſt. Sed ei cuius facta celebrare ſuſceperis, plerumquè honorabilius eſt multa ſupereſſe, quæ ſilentio præterire malis, quàm quæ velis adijcere. Tibi verò tutiùs ſummo mari, quàm in profundo natare. At me criſpatis leuiter errantem vndis, gurgitibus eximo: quem tamen ſi fortè in ſe deuoluerent, illius beneficio viuus emergerẽ, qui & naufragis hauſtam fluctibus animam ad auram communem reduxit. Sed coepta proſequamur. Conſentaneum erat, vt qui non niſi ſolius diuinæ gloriæ, hominũmq; ſalutis gratia viueret, haberet in alios imperium vitæ. Crudelis ad honorem Alexandri quondam ac Cæſaris iactantia fuit, quòd innumerabiles hominum legiones quà ferro, quà flammis mactauiſſent. Acerbum officium eſt, conſolari gladios ſpe bellicæ laniena, & adepta victoria, telis alieno cruore ſpumantibus tandem abſterſis gratulari. Temulenti faſtuoſo gaudio animi eſt, ventilare auras carbaſis imperatorijs, hoſtium trucidatorum ſanguine purpuratis. Non eſt hoc, non eſt, decernendi belli, quamuis aliàs iuſti, debitum conſilium, nequè commiſſi finis? Sed eſto ſanè, ſi ita lubet, ad futilem nominis

commendationem. Surgat è militum deuictorum tumulis fama. Summorum imperatorum memoria ex aliorum interitu viuat. Exultet in media hoſtium ſtrage victoria, & per aceruos cadauerum, conſcenſum, ſi poteſt, ad ſuperos moliatur. dicam, & quanta maxima potero, voce contēdam, vt me quotquot ſunt, fuerunt, erunt fortiſſimi bellorum duces exaudiant: maior virtus eſt ad gloriam, efficacior commendatio ad immortalitatem, magis arduum opus ad ſtuporem, vni tantùm homini vitam reddidiſſe, quàm omnibus abſtuliſſe. Etenim ſpiritus hic quem ducimus, mortalitatis ſemper viuæ teſtamento, naturæ tandem quoquomodo reddendus eſt: nequè magnum eſt, ſi quis tibi præripiat, quod poſteà, velis nolis, omninò cedendum eſt. at vita ſpoliatos ad hanc auram ſpirabilem reuocare, mortuos è ſepulchris ciere, mortem in triumphum ducere, ita leges, ac vim eorum quæ coeli ambitu continentur infringit, vt is qui præſtare id queat, à Deo optimò maximo, ac præpotenti huius pulcherrimæ vniuerſitatis effectore communicatam quodammodò habere videatur poteſtatem ad communia naturæ iura voluntatis arbitrio immutanda. Quapropter cum Franciſcus Xauerius tàm multos, qui ſupremum expleuerant diem, ad nouam priſtinæ lucis vſuram reuexerit, neceſſe eſt, vt eius vitæ ſanctimonia, ac præcelſæ virtutes, nòn minùs magnitudinem eloquentiæ ſuperent, quàm admiranda potentia vim naturæ. Eorum autem omnium quæ iſta vltima qualicumq; oratione de tanto, ac tam inſigni viro attuli, ſingula ſingillatim exempla in conſpectum darem, niſi è iam plenis vulgi auribus; ac detritis omnium manu hiſtorijs depromenda, plurimum ad negotium otioſum laboris afferrent, & nihil prorsùs ad gratam cognitionem nouitatis: quamquam aliàs, ſi rectè ratiocinari volumus, ſatis eſt ſolam illius nudamq; vitam, ab eo tempore quo Pariſijs Ignatio adiunctus eſt, humanis uiribus longè imparem, in theatro illius honoribus conſecrato, omnium gentium oculis exhibere. Etenim non dico prodigium, ſed portentum prodigij eſt, ab huiuſmodi viro, regij videlicet ſanguinis, cuius ortum par corporis conſtitutio, & educatio ſequeretur, Chriſti hominumq; ſalutis gratia, poſt initum præſertim Nuncij Apoſtolici magiſtratum, famæ, ſiti, vigilijs, æſtu, frigore, aſperrima corporis afflictatione, male affecta valetudine, & verò etiam ardentiſſimis diuini amoris ignibus ferè con-

A a ſum-

ſumpto, inter vaſtas ſolitudines, viarum mæandros, inuios ſaltus, inter horrentes vepribus ſemitas, obrutos nimbus campos; armatas mucronibus rupes, in medijs barbarorum, eius necem anhelantium, inſidijs ac telis, in deſertis ferarum luſtris; quà domi, quà foris, quà mari, quà terra, quà infinitis in India Iaponiaq; itineribus, ab illo, inquam, tali viro tantam negotiorum molem, tantos curarum æſtus, tantam laborum immenſitatem, tot ludibria, calumnias, opprobria, tot temporum iniurias ac procellas, tot dæmonum furentium, non ſine flagellorum tempeſtate, prælia; tot denique calamitates peſtes ac mortes, toto decennio ſubiri, perferri, ſuperari, tam forti animo, tam inuicta virtute, tam incredibili conſtantia, atquè alacritate potuiſſe. Dicamne? at ſi dixero, quid reformidem? Deus ipſe, Xauerij adiutor, ſudauit ſub onere vtrique communi. Erat Nauarræ in auitis Xauerij ædibus, peruetus Chriſti in cruce defixi effigies, erga quam eximia familiæ religio. Hæc quoties Xauerio, eius vitæ poſtremis annis, grauius aliquod infortunium accidiſſet, conſpecta eſt ſudore madens. Metire ſerui laborem, labore domini. Franciſco Aſſiſiati, ſanctiſſimo clariſſimi ordinis Patriarchæ, Chriſtus ſuarum plagarum impreſſit notas. In ſeverò Franciſci Xauerij vexationes excepit. Diuinus amor ſibi exercuit in vtroque delicias, collato illis non abſimili beneficio, ratione diſſimili. ſuas intendit vires, ac relaxauit, alterum vulnerans, vulneratus ab altero. certaminis impatiens, niſi pateretur, & ageret: nullo tamen fortitudinis diſcrimine, parta ſemper victoria. At & hoc prodigium maius; quòd integro à Xauerij obitu anno, qui obitus, è portu Sinarum, ne incerto quidem rumore in Europa eo temporis interuallo, audiri poterat, ex illa eadem, quam dixi, auguſta Chriſti effigie ros ſanguineus, ingenti omnium ſtupore, diffluxit. hic videlicet, mortis, non tam illius quam Xauerius oppetijt, quam alterius ab eo concupitæ, nuncius fuit; ſed tunc ignotus. hic, inquam, cruor teſtis illius extitit, quem inter Sinas heros fortiſſimus Chriſti cauſa, largiter profundere tamdiu geſtiebat. Conceſſum tamen illi non eſt martyrij inſigne, ſed præmium. O quanta, vel in ſola voluntate ad felicitatem compendia! Gemini autem huius tam admirandi caſus veritas illuſtris fuit. E literis enim tunc in India ſcriptis, & poſtmodùm in Europa redditis, & collatis vtrinquè annis, menſi-

bus,

bus, ac diebus, liquidò perſpectum eſt, hæc quæ modò commemoraui, vno eodemq; tempore contigiſſe. O, quandoquidem de miraculis diſſerimus, in nullo vnquàm ſperanda, ſed optanda oppidò ad vnius tanti herois debitam pro meritis laudationem, in omnibus oratorum omnium ingenijs ac dicendi vbertate miracula, qui plura ac maiora ergà ſeipſum ſublimi virtutum genere, quam vſquàm gentium ergà ceteros, inauditis, quas commemoraui rebus geſtis, edidiſſe cenſendus eſt. Fuit ille; fuit, dum viueret, ſumma quædam & compendium prodigiorum, a natura, ab hominibus, atque ab arte venerandum. Nam eorum, quæ poſtquam è vita deceſſit in plurimis orbis terræ prouincijs ad hæc vſque tempora patrauit, tam ingens eſt multitudo ac varietas, vt ſatius ſit a numerandi labore deſiſtere; ne interminata diſquiſitione numerus numeros, labor laborem propaget. Illa ſe ſe vbiquè frequenter in omnium oculis exerunt. Verùm cum non omnia è tam multis Europæ, Africæ, atquè Aſiæ, nouiq;, vt vocant, orbis partibus, in communem omnibus hiſtoriam accerſiri & conuenire poſſint, conſtans ac minor vero fama, ſaltem vulgatu contenta eſt, dum hominum animi ad maiorem ſubindè Xauerij cultum, fideli mouentur auditu. Sed quod nec etiam præ nimia multitudine certus miraculorum numerus definiri queat, hoc ipſum in illius gloriam maximè cedit. ſpes quippè abiecta augendi ea ratione honoris illi debiti, aucti fidem erigit. Verùm inter hæc prodigia, quæ poſt eius mortem extitere, primum omnium mors, tám incorruptæ vitæ merito, ſibi deberi rata eſt. confeſtim inuolauit in feretrum extincti; neceſſitatis ſuæ dolorem lenitura, ſi ſoluto immortalis animi cum corpore mortali coniugio, cadauer incorruptum ſeruari poſſet. Oderat illa factum a ſe tale diuortium. Partus proindè præteriti illius coniugij nouerca non fuit. optauit hoc, quod dixi, rectè factis Xauerij præmium. Mortis, mortuum deplorantis, ac non mentitæ nouæ præficæ votis annuit Deus. Ergò cum è Sanciano Sinarum inſula ſacrum illud corpus longiſſimo itinere maritimo, Goam tranſportandum eſſet, vt ab odore nauigio caueretur, loculo conditum eſt, multa ingeſta calce abſumendum. Mirum dictu. fortunatior euentus conſilium eluſit. geminatum miraculum eſt. Nam cum in illam principem Indiæ vrbem, Indorum Iaponumq; victoris corpus

Digitized by Google

triumphali funere, tota obuiam effuſa Ciuitate inuectum eſſet, illud non modò integrum,& veluti recenti ſanguine, calens, ac eo ipſo die exanimatum repertum eſt,verumetiam ſuauiſſimum circumfundens odorem: dubijs omnibus,an de tanti viri amiſſione lugerent,an potius de ſumma illius felicitate lætarentur. Vidiſſes in Euripo, è miſtis gaudij, ac mæſtitiæ lacrimis exorto, fluctuantes. O fortunatam vrbem,tam inſigni munere atquè ornamento à Deo immortali donatam! Nullis vnquam diues India tuum tam opulentis portum mercibus occupauit. O arcem, Franciſci Xauerij animum inter ſuperos regnantem, corporis ſpolio,tanquàm pignore atque obſide relicto,cuſtodem,defenſorem,patronum,perfugium,ac ſolatium habituram. Sed, vt modò ſignificaui, non erat opus cadaueri, atquè humoribus celeriter deſiccandis, præpropero vllius artis auxilio. Suum naturæ liberum, & conſuetum officium permittendum fuit. Corpus illud, quod viuum virgineis niuibus impuras extinxerat flammas, mortuum non poterat ignibus calcarijs vri.Hoc igitur,poſt iſtius mortalitatis diuerſorium primum Franciſci prodigium fuit. Vnum prætereà, aut alterum ſolùm attingam. Aio igitur in ipſo ex illa,quam dixi, Santiano inſula, eius corporis tranſitu, ſæuiſſimam peſtem,qua tum vrbs Malacenſis ardebat, diuinitùs extinctam,nulloq; mali, ſed ſolo Xaueriani meriti relicto veſtigio vſquequaquè deletam. Miras tamen alias curationes, ac beneficia,varijs ſubindè locis, eodem itineris curſu edita eſſe comprobatum. Prò Deum immortalem! etiam ne tot, vel ſola ſacrorum cadauerum fuga miracula parit, ac ſecum rapit? Spectata tranſuecti corporis pompa, imagò eiuſdem corporis oculos aliò auertit. Inter ſe, vt video, portenta contendunt. hoc alterum non minùs admiratione animum afficit,quàm iucunditate auditum. Ergò in ora regni Trauancoridis erat ſacra ædes quæ ob celeberrimam Xauerij effigiem, eximia religione in ea cultam, Sancti templum nominabatur. Cùm autem oleo lampadis antè illam appenſæ, nullum ad omnia morborum genera medicamentum efficacius indigenæ eſſent experti, magni propterea, etiam ethnicorum quorumdam, illuc ægras pecudes aliaq; armenta paſſim adducentium concurſus fiebant. Simplicem barbarorum fidem ſequebatur ſalus. Nullam ſe vnquàm a ſuis opem ſimulachris retuliſſe dicebant; omnem ab eo, de quo iam inaudierant

Chri-

Digitized by Google

Chriſtianorum Deo. Qua ex re ingens conſtitit fructus. Complures enim ab idololatriæ,teterrimo omnium malo ſanabantur. Miſerrimum fuiſſet, recuperata brutorum animantium valetudine,hominum animos ſuis in plagis,lutulentis ſordibus, atque interitu viuere,ſimulq; mori, ad exitium ſempiternum. Attamen vt eorum, quos dixi,fides, & conſtantia inter tenebras alienæ ſuperſtitionis illuſtrior euaderet, non defuere ethnici alij, qui cognatâ ſuperbæ impietatis inuidia, ad ſubſidium aquarum confugerent. Eas in lampadem illam eiecti foras olei vicarias infundunt. Lampas ſplendidiùs fulget. nouas ſubindè, mutato etiam ellychnio,ingerunt. nihil proficit pertinax improbitas. venerandum quippe illud vas,adulterino humore foecundum,& ex incubanti perditorum inſania toties grauidum, generoſiores furſùm egerit flammas. Pendulo igitur igne tali alimonia ſaginato, ac luculentius ſemper ardente, extincta tandem illorum, inuidia macreſcentium,ſi non impietas,voluntas quidem certè laboris irriti prouehendi. Ne ſe poſthac hic olei iactet liquor ſubiectæ aliàs dominus aquæ. hæc,hæc inquã, illi ſuperfuſa,& enatans poterit meliori ad lucẽ imperio ſtare. Alme ſol, qui circum actas coelo ſuperiore tuis radijs animas faces, ijs contractis, poſſes hauſtam hac ex aqua diſpenſare lucem. Memoriam vellit cuiuſdam fontis ſedes amabilis, quem ſacræ paginæ in Ioſue, ſolis fontem appellant. O Xaueriana lampas, hoc tibi perpetuum habeto nomen: potiſsimùm verò, cum (vt poteſt interdùm contingere) caſu aliquo extincta,te ipſa rurſus accenſa ſis. Sunt hæc ſanè,interpellante ſanctiſſimi viri apud Deum deſiderio,mira portenta. verùm præpotentis luminum, aquarum, rerumq; omnium effectoris arbitrio,vndas ex ignibus gignere,aut ex vndis ignes, in aquis ardere, aut gelaſcere in flammis, par operis ludus. Iam verò cum aliorum miraculorum quorum infinita propè ſeries minimè poteſt, pars aliqua in eius ſpectatiſſimæ vitæ ſancitos debita auctoritate codices, redacta ſit, quemadmodum hi legentium amorem, pietatemq; commendant, ita mihi poſtremæ huic orationi exitum paranti non leue ſubſidium afferunt. Inſtituant alij, quos eloquentiæ vis, & dicendi exercitatio celebres reddit, contumacia in Xauerio ad inuidiam collaudando certamina; ego, quem ſtudia longè grauiora ſemper ab eorum coetu procul habuere, ſpectator tantummodo in theatro cum ceteris conſidebo. At o

felices in eorum æmula turbulentaq; concordia conatus, qui cum obſtinata difficultate frangantur, indè non minor illis pro ſtudio conſurgit honos, quam Xauerio pro meritis gloria. Quamobrem vt tàm malè contextam panegyrici laboris ſeriem à me ab initio ad hunc vſque locum perductam, longiùs quidem pro rerum admirabilium infinitate prouehi debuiſſe, ſed pro virium mearum imbecillitate non potuiſſe confitear, incolume deſiderium præſtandi, ſi poſſem, officij conſeruabo, & finem imponam inuitus officio. Voluntas in altero me dignum laude faciet, in altero veniа, in vtroquè ſecurum. Rem igitur tandem aliquandò ſic exequor; neminem videlicet eſſe aio, qui nón intelligat, qui non vltrò fateatur, qui non palàm prædicet, nihil hoc tempore à Gregorio XV. Pontifice optimo maximo, ac ſapientiſſimo, ſupremi numinis afflatu, effectum, cæleſtibus ciuibus ad noua gaudia acceptius, nihil Eccleſiæ Catholicæ ad opis diuinæ augmentum opportunius, nihil ſummorum imperatorum, regum, ac principum ad quoddam peculiare patrocinium optabilius, nihil ſocietati noſtræ vniuerſæ, ad maiora in dies virtutum incrementa firmitatemq; potentius, quàm quod Ignatium Loiolæum, ac Franciſcum Xauerium in numerum ſanctorum retulit, eoſq; cultu eximio, ac religione venerandos eſſe decreuit. Quamquàm ſanè inficiari nemo poteſt, non parum exiſtimationis, ad ſingulare decus, in paſtorem præſtantiſſimum ex illorum apotheoſi naſci. Pontificatus eius tempus non tam annorum numero, quàm præcellentiſſimi huius operis memoria menſurabitur. ad quod opus, cum primùm in ſummum illud dignitatis faſtigium euectus eſt, animum curamq; conuertit. Incertum, reliquæ vitæ ſpatium, ne ſe falleret, occupauit. adiunxit ad facti gloriam, prudentiæ laudem. Quin etiam vtriuſq; ſanctiſſimi herois meritis, ac precibus, peculiari quodam iure, viam ſibi muniuit ad coeleſtis beatitudinis, qua perfruuntur, perenne conſortium. Io igitur, io triumphe. Viuite, viuite gemini proceres, Ignati, ac Franciſce, recentia coeli, ac fulgentiſſima lumina; ſuperum deliciæ, terrarum orbis ornamenta; Catholicæ propugnacula fidei, noſtræ columina ſocietatis. Vos diuini cultus acerrimi vindices, hæreticæ peſtis excidium, Chriſtianæ religionis indefeſſi propagatores, vos Ideæ ſanctitatis, perfectiſſima morum norma, pulcherrima theatra virtutum; vos intermiſſum tot ſeculis frequen-
tem

tem Sacramentorum vſum in Eccleſiam reuocauiſtis, vos omnibus ſemper ad Chriſtiani officij notitiam,lucem,ad diuinos amores facem prætuliſtis: vos deniquè veſtra ſtudia omnia, curas, ſolicitudines,lacrymas,preces,itinera,ieiunia,vigilias,corporis cruciamenta voluntaria, pias cum hominibus conſuetudines, colloquia, conſilia, cohortationes, conciones, totos deniquè vos ipſos, communi gentium omnium vtilitati, commodis, adiumentis, ad æternæ ſalutis adeptionem,ac Dei gloriam conſecrauiſtis. Quos non labores Chriſti cauſa ſubijſtis? quæ non tormenta tolerauiſtis? quas non victorias de vobis ipſis primùm, tùm de alijs, contrà quos honorifica eſſet debitaq; contentio, reportauiſtis? quæ non iuga dæmonum ex hominum ceruicibus depuliſtis? quæ non præclara facinora,quantumuis ardua,non modo aggreſſi eſtis,verumetiam ad exitum feliciter perducta vidiſtis? qui non annales rebus à vobis geſtis grauidi, copioſiſſimam oratoribus fudere dicendi materiam, eorum tamen ſemper ſteriléſcente facundia? Quæ non eloquentiæ flumina,in veſtras laudes ex omnibus euoluta prouincijs, iugi tamen, perpetuo, ſemperque pleno veſtrorum meritorum fonte,iam exhauſta? Quod ferè genus, præcipuorum quidem certè, miraculorum non à vobis exhibitum, hominum animos atquè oculos rapuit? Quæ non ſacella, veſtro dicata cultui,ac tabellis conſtrata votiuis, ingentia æquè ac frequentiſſima beneficia diuinitus à vobis accepta teſtantur? Nullis templa ipſa tam pretioſis periſtromatis induuntur. hæc loci dignitatem prætendunt; illa veſtram potentiam. Poſtremò quid de veſtris ſectatoribus dicam? Enimuerò habet hoc non degener poſteritas, vt nunquàm interciſa operum nobilium ſerie, ſuis maioribus texat incrementa honorum ancillorum memoria in hominum animis non ſolùm nulla temporum diuturnitate langueſcat, verumetiam nouis ſemper corroborata ſubſidijs,doceat ſepulchrum extrui potuiſſe cineri, non virtuti. Ergò quantùm è filiorum tuorum, Ignati Societatis Ieſu parens optime,ac fœcundiſſime,tuorumq; pariter fratrum, Franciſce incomparabilis anteſignane,moribus,virtutibus,doctrinis,laboribus,atquè ergà genus humanum officijs,ac fructibus,ad veſtræ lætitiæ,&. gloriæ cumulum ſingulari Dei ope, ad hanc vſquè diem acceſſerit, nolo in oratione mea ponere,ne fortè videar nihil afferre noui,præter iactantiam,quam refugiunt, & nihil digni commendatione, quam promerentur.

Hoc

Digitized by Google

Hoc itaq; ſolum mihi nunc videtur ſupereſſe, vt cum his ipſis Societatis noſtræ hominibus obnixè vos orem, ac deprecer, vt vnuſquiſque noſtrum perfectiſſima vitæ veſtræ acta, & exempla in ſe repræſentare, veſtriſq; veſtigijs perpetuò inſiſtere ſumma cura, ſtudio diligentiaq; conetur. atque in primis cum ijſdem, atquè omnibus Chriſti cultoribus vos vehementer obſecrem, vt Eccleſiam vniuerſam veſtris apud Deum precibus, veſtro patrocinio, veſtriſq; auxilijs ſartam tectam, florentem, amplificatamq; ſeruetis. Non enim vobis nequè voluntas deeſt, nequè facultas tanta ſiquidem eſt veſtræ erga omnes caritatis magnitudo, vt nulli vnquàm bono contigerit plùs optare, quàm velitis. Tantum verò apud Deum, & gratia poteſtis, & meritis, vt efficere minimè poſſitis quin ingeniorum omnium ſublimitas, omnis in dicendo exercitatio, omnis eloquentiæ vis in hac ipſa veſtra poteſtate prædicanda, quantumuis eiuſdem poteſtatis ope fulta, ſuccumbat. Sed finis ſit; initio dignus ſcilicet. cum extremis verò ſi media conferantur, nihil erit abſimile. In huius quippè operis longa breuitate, coherent propè irriti mei labores. Quapropter ſi ieiunè, & inconditè dicere, ſilentio par eſſe iudicatur, hactenus me de vobis ſiluiſſe confiteor. Ignoſcite magni maximi, ac fortiſſimi heroes. Non me tamen poenitet tentaſſe quid poſſem, ſed pudet præſtare non potuiſſe quod debebam. Si laudem in altero non inueniam, quam minimè quæro, in altero veniam merebor, quam maximè cupio.

FINIS.

Soli Deo honor, & gloria.

Google

FRANCISCI REMONDI DIVIONENSIS

SOCIETATIS IESV

PANEGYRICA ORATIO

IN LAVDEM SANCTI CAROLI CARDINALIS,

Iam pridem, & nunc iterum typis cuſa.



P L A C E N T I Æ, cIↄ.cIc.xxvj.

Apud Iacobum Ardizzonum Cameralem Typographum.

De conſenſu Superiorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO

PARMÆ, ET PLACENTIÆ

PRINCIPI

ODOARDO FARNESIO

FRANCISCVS REMONDVS
SOCIETATIS IESV
Felicitatem.

HAEC qualiſcumq́ laudatio, Princeps Sereniſsime, Diuo Carolo debetur; & tibi. Cauſam habeo ab eius meritis erga me, et a tua in eum pietate. Ego illius opem non ſemel implorau; praſtò fuit, & præbuit: tu ab infantia, de illius cura ſuxiſti; te fouit, & educauit. Vtriquè noſtrum ab illo benè eſt. Panegyricum illi dedico, & tibi offero. Hunc ſi

merita illius non aſpernantur, tua pietas non recuſabit. alioquin ad Sereniſſimum parentem tuum appello, cuius ergà me, non meo quidem merito, magna beneuolentiæ argumenta: imò ad D. Carolum, ergà quem ſummum animi tui ſtudium. huius tutela id a te exigit: illius beneficia me ſibi vendicant. Vtrinque imperat ratio, gratus animus pareat. Verùm in me iam exaruit, & languet oratio: fateor: in te verò effloreſcit ac viget: gaudeo: ſed ità viget, vt in iſta ætate pubeſcente, ſenis maturitatem præ te feras, iudicio & lingua: cum nos ſeneſcente, repueraſcere videamur. Sed ſi eloquens eſſe non valeo, amare poſſum. Tu Verò Princeps æquitatis amantiſſime, ſi amorem eloquentiæ anteponis, ſcito munuſculum hoc, non ab eloquentia, ſed ab amore in D. Carolum, & in tuum parentem, & in te eſſe contextum. Illud igitur excipe, o puer ſenex, a ſene puero. Serò prodit: diu verecundia continuit. nunc tandem ab officio victus eſt pudor. Curre, vola panegyrice in eius manus, eius oculos ſubi. Nunquam tractari poteris mitiore manu, neque legi puriore oculo. Placentiæ 4. Nouemb. an. 1621.

PANE-

PANEGYRICVS IN LAVDEM D. CAROLI CARDINALIS.

Auctore Franciſco Remondo Diuionenſi, Societatis IESV.

NISI me regij vatis animaret, ac firmaret auctoritas, qui ſuprema diuinæ maieſtatis præconia, in ore infantium & lactentium procuſa, & ad omnium nationum, ac gentium aures iactata eſſe teſtatur; non dubito quin de maximo, ac præcellenti ſanctitate conſpicuo Diuo Carolo Cardinali, & Archiepiſcopo, non ſolum vox dicere aggredientem, verumetiam vel ipſa mens aliquid prius cogitare conantem repentè deficeret. Sed cum ſubeat animum cęleſtis chori laudes & cantus, in ortu Chriſti ad cunas vagientis auditos, non niſi quendam inchoatum concentum vocum videri, quem poſtmodùm Hieroſolymis, ſub illius occaſum, fauſtæ infantium Hebræorum acclamationes, ingenti cum omnium admiratione perfecerint; homines verò, ſi eos cum beatiſſimis illis mentibus componere velis, pueros & infantes eſſe cenſendos; audeo, valeo, eloquens, ac vir euado. audacem me facit timor, fortem imbecillitas, diſertum infantia, pueritia virum. Nam quidni tot inter oratores vox balbutientis exultet, cum vel ipſi beatarum mentium facundi torrentes, exiguo infantilium labiorum lacte ſuperfuſo, & exundante obruantur? Tamen ſi dum quarumdam rerum præcipua capita in pauca verba confero, ita dicam, vt de hoc præſtantiſſimo Eccleſiæ Mediolanenſis principe nihil dixiſſe videar; id ego felici ſorte vtrique in lucro reponam; mihi ad leuamētum laboris, illi ad cumulum gloriæ. Non eſt in ſilentio labor; ſed in ieiuna oratione ſilentium. Nulla verò maior commendatio eſſe poteſt, aut animo concipi, quàm omnis fruſtrà tentata laudatio. Quem pro voluntate commendare non potes, pro dignitate laudaſti. E conatu fracto vis

elo-

ſumpto, inter vaſtas ſolitudines, viarum mæandros, inuios ſaltus, inter horrentes vepribus ſemitas, obrutos nimbus campos, armatas mucronibus rupes, in medijs barbarorum, eius necem anhelantium, inſidijs ac telis, in deſertis ferarum luſtris, quà domi, quà foris, quà mari, quà terra, quà infinitis in India Iaponiaq; itineribus, ab illo, inquam, tali viro tantam negotiorum molem, tantos curarum æſtus, tantam laborum immenſitatem, tot ludibria, calumnias, opprobria, tot temporum iniurias ac procellas, tot dæmonum furentium, non ſine flagellorum tempeſtate, prælia; tot denique calamitates peſtes ac mortes, toto decennio ſubiri, perferri, ſuperari, tam forti animo, tam inuicta virtute, tam incredibili conſtantia, atquè alacritate potuiſſe. Dicamne? at ſi dixero, quid reformidem? Deus ipſe, Xauerij adiutor, ſudauit ſub onere vtrique communi. Erat Nauarræ in auitis Xauerij ædibus, peruetus Chriſti in cruce defixi effigies, erga quam eximia familiæ religio. Hæc quoties Xauerio, eius vitæ poſtremis annis, grauius aliquod infortunium accidiſſet, conſpecta eſt ſudore madens. Metire ſerui laborem, labore domini. Franciſco Aſſiſiati, ſanctiſſimo clariſſimi ordinis Patriarchæ, Chriſtus ſuarum plagarum impreſſit notas. In ſe verò Franciſci Xauerij vexationes excepit. Diuinus amor ſibi exercuit in vtroque delicias, collato illis non abſimili beneficio, ratione diſſimili. ſuas intendit vires, ac relaxauit, alterum vulnerans, vulneratus ab altero. certaminis impatiens, niſi pateretur, & ageret: nullo tamen fortitudinis diſcrimine, parta ſemper victoria. At & hoc prodigium maius; quòd integro à Xauerij obitu anno, qui obitus, è portu Sinarum, ne incerto quidem rumore in Europa eo temporis interuallo, audiri poterat, ex illa eadem, quam dixi, auguſta Chriſti effigie ros ſanguineus, ingenti omnium ſtupore, diffluxit. hic videlicet, mortis, non tam illius quam Xauerius oppetijt, quam alterius ab eo concupitæ, nuncius fuit; ſed tunc ignotus. hic, inquam, cruor teſtis illius extitit, quem inter Sinas heros fortiſſimus Chriſti cauſa, largiter profundere tam diu geſtiebat. Conceſſum tamen illi non eſt martyrij inſigne, ſed præmium. O quanta, vel in ſola voluntate ad felicitatem compendia! Gemini autem huius tam admirandi caſus veritas illuſtris fuit. E literis enim tunc in India ſcriptis, & poſtmodùm in Europa redditis, & collatis vtrinquè annis, menſibus,

Digitized by Google

bus, ac diebus, liquidò perſpectum eſt, hæc quæ modò comme-moraui, vno eodemq; tempore contigiſſe. O, quandoquidem de miraculis diſſerimus, in nullo vnquàm ſperanda, ſed optanda oppidò ad vnius tanti herois debitam pro meritis laudationem, in omnibus oratorum omnium ingenijs ac dicendi vbertate miracula, qui plura ac maiora ergà ſeipſum ſublimi virtutum genere, quam vſquàm gentium ergà ceteros, inauditis, quas commemoraui rebus geſtis, edidiſſe cenſendus eſt. Fuit ille, fuit, dum viueret, ſumma quædam & compendium prodigiorum, a natura, ab hominibus, atque ab arte venerandum. Nam eorum, quæ poſtquam è vita deceſſit in plurimis orbis terræ prouincijs ad hæc vſque tempora patrauit, tam ingens eſt multitudo ac varietas, vt ſatius ſit a numerandi labore deſiſtere; ne interminata diſquiſitione numerus numeros, labor laborem propaget. Illa ſe ſe vbiquè frequenter in omnium oculis exerunt. Verùm cum non omnia è tam multis Europæ, Africæ, atquè Aſiæ, nouiq;, vt vocant, orbis partibus, in communem omnibus hiſtoriam accerſiri & conuenire poſſint, conſtans ac minor vero fama, ſaltem vulgatu contenta eſt, dum hominum animi ad maiorem ſubindè Xauerij cultum, fideli mouentur auditu. Sed quod nec etiam præ nimia multitudine certus miraculorum numerus definiri queat, hoc ipſum in illius gloriam maximè cedit. ſpes quippè abiecta augendi ea ratione honoris illi debiti, aucti fidem erigit. Verùm inter hæc prodigia, quæ poſt eius mortem extitere, primum omnium mors, tàm incorruptæ vitæ merito, ſibi deberi rata eſt. confeſtim inuolauit in feretrum extincti; neceſſitatis ſuæ dolorem lenitura, ſi ſoluto immortalis animi cum corpore mortali coniugio, cadauer incorruptum ſeruari poſſet. Oderat illa factum a ſe tale diuortium. Partus proindè præteriti illius coniugij nouerca non fuit. optauit hoc, quod dixi, rectè factis Xauerij præmium. Mortis, mortuum deplorantis, ac non mentitæ nouæ præficæ votis annuit Deus. Ergò cum è Sanciano Sinarum inſula ſacrum illud corpus longiſſimo itinere maritimo, Goam tranſportandum eſſet, vt ab odore nauigio caueretur, loculo conditum eſt, multa ingeſta calce abſumendum. Mirum dictu. fortunatior euentus conſilium eluſit. geminatum miraculum eſt. Nam cum in illam principem Indiæ vrbem, Indorum Iaponumq; victoris corpus

triumphali funere, tota obuiam effuſa Ciuitate inuectum eſſet, illud non modò integrum,& veluti recenti ſanguine, calens, ac eo ipſo die exanimatum repertum eſt,verumetiam ſuauiſſimum circumfundens odorem: dubijs omnibus,an de tanti viri amiſſione lugerent,an potius de ſumma illius felicitate lætarentur. Vidiſſes in Euripo, è miſtis gaudij, ac mæſtitiæ lacrimis exorto, fluctuantes. O fortunatam vrbem,tam inſigni munere atquè ornamento à Deo immortali donatam! Nullis vnquam diues India tuum tam opulentis portum mercibus occupauit. O arcem, Franciſci Xauerij animum inter ſuperos regnantem, corporis ſpolio,tanquàm pignore atque obſide relicto,cuſtodem,defenſorem,patronum,perfugium,ac ſolatium habituram. Sed, vt modò ſignificaui, non erat opus cadaueri, atquè humoribus celeriter deſiccandis, præpropero vllius artis auxilio. Suum naturæ liberum, & conſuetum officium permittendum fuit. Corpus illud, quod viuum virgineis ninibus impuras extinxerat flammas, mortuum non poterat ignibus calcarijs vri.Hoc igitur,poſt iſtius mortalitatis diuerſorium primum Franciſci prodigium fuit. Vnum prætereà, aut alterum ſolùm attingam. Aio igitur in ipſo ex illa,quam dixi, Santiano inſula, eius corporis tranſitu, ſæuiſſimam peſtem,qua tum vrbs Malacenſis ardebat, diuinitùs extinctam,nulloq; mali, ſed ſolo Xaueriani meriti relicto veſtigio vſquequaquè deleram. Miras tamen alias curationes, ac beneficia,varijs ſubindè locis, eodem itineris curſu edita eſſe comprobatum. Prò Deum immortalem! etiam ne tot, vel ſola ſacrorum cadauerum fuga miracula parit, ac ſecum rapit? Spectata tranſuecti corporis pompa, imagò eiuſdem corporis oculos aliò auertit. Inter ſe, vt video, portenta contendunt. hoc alterum non minùs admiratione animum afficit,quàm iucunditate auditum. Ergò in ora regni Trauancoridis erat ſacra ædes quæ ob celeberrimam Xauerij effigiem, eximia religione in ea cultam, Sancti templum nominabatur. Cùm autem oleo lampadis antè illam appenſæ, nullum ad omnia morborum genera medicamentum efficacius indigenæ eſſent experti, magni proptereà, etiam ethnicorum quorumdam, illuc ægras pecudes aliaq; armenta paſſim adducentium concurſus fiebant. Simplicem barbarorum fidem ſequebatur ſalus. Nullam ſe vnquàm a ſuis opem ſimulachris retuliſſe dicebant; omnem ab eo, de quo iam inaudierant

Chri-

Chriſtianorum Deo. Qua ex re ingens conſtitit fructus. Complures enim ab idololatriæ, teterrimo omnium malo ſanabantur. Miſerrimum fuiſſet, recuperata brutorum animantium valetudine, hominum animos ſuis in plagis, lutulentis ſordibus, atque interitu viuere, ſimulq; mori, ad exitium ſempiternum. Attamen vt eorum, quos dixi, fides, & conſtantia inter tenebras alienæ ſuperſtitionis illuſtrior euaderet, non defuere ethnici alij, qui cognatâ ſuperbæ impietatis inuidiâ, ad ſubſidium aquarum confugerent. Eas in lampadem illam eiecti foras olei vicarias infundunt. Lampas ſplendidiùs fulget. nouas ſubindè, mutato etiam ellychnio, ingerunt. nihil proficit pertinax improbitas. venerandum quippè illud vas, adulterino humore foecundum, & ex incubanti perditorum inſania toties grauidum, generoſiores ſurſùm egerit flammas. Pendulo igitur igne tali alimonia ſaginato, ac luculentius ſemper ardente, extincta tandem illorum, inuidia macreſcentium, ſi non impietas, voluntas quidem certè laboris irriti prouehendi. Ne ſe poſthac hic olei iactet liquor ſubiectæ. aliàs dominus aquæ. hæc, hæc inquā, illi ſuperfuſa, & enatans poterit meliori ad lucē imperio ſtare. Alme ſol, qui circum actas coelo ſuperiore tuis radijs animas faces, ijs contractis, poſſes hauſtam hac ex aqua diſpenſare lucem. Memoriam vellit cuiuſdam fontis ſedes amabilis, quem ſacræ paginæ in Ioſue, ſolis fontem appellant. O Xaueriana lampas, hoc tibi perpetuum habeto nomen. potiſsimùm verò, cum (vt poteſt interdùm contingere) caſu aliquo extincta, te ipſa rurſus accenſa ſis. Sunt hæc ſanè, interpellante ſanctiſſimi viri apud Deum deſiderio, mira portenta. verùm præpotentis luminum, aquarum, rerumq; omnium effectoris arbitrio, vndas ex ignibus gignere, aut ex vndis ignes, in aquis ardere, aut gelaſcere in flammis, par operis ludus. Iam verò cum aliorum miraculorum quorum infinita propè ſeries minimè poteſt, pars aliqua in eius ſpectatiſſimæ vitæ ſancitos debita auctoritate codices, redacta ſit, quemadmodum hi legentium amorem, pietatemq; commendant, ita mihi poſtremæ huic orationi exitum paranti non leue ſubſidium afferunt. Inſtituant alij, quos eloquentiæ vis, & dicendi exercitatio celebres reddit, contumacia in Xauerio ad inuidiam collaudando certamina; ego, quem ſtudia longè grauiora ſemper ab eorum coetu procul habuere, ſpectator tantummodo in theatro cum ceteris conſidebo. Atq

felices in eorum æmula turbulentaq; concordia conatus, qui cum obſtinata difficultate frangantur, indè non minor illis pro ſtudio conſurgit honos, quam Xauerio pro meritis gloria. Quamobrem vt tàm malè contextam panegyrici laboris ſeriem à me ab initio ad hunc vſque locum perductam, longiùs quidem pro rerum admirabilium infinitate prouehi debuiſſe, ſed pro virium mearum imbecillitate non potuiſſe confitear, incolume deſiderium præſtandi, ſi poſſem, officij conſeruabo, & finem imponam inuitus officio. Voluntas in altero me dignum laude faciet, in altero venia, in vtroquè ſecurum. Rem igitur tandem aliquandò ſic exequor; neminem videlicet eſſe aio, qui non intelligat, qui non vltrò fateatur, qui non palàm prædicet, nihil hoc tempore à Gregorio XV. Pontifice optimo maximo, ac ſapientiſſimo, ſupremi numinis afflatu, effectum, cæleſtibus ciuibus ad noua gaudia acceptius, nihil Eccleſiæ Catholicæ ad opis diuinæ augmentum opportunius, nihil ſummorum imperatorum, regum, ac principum ad quoddam peculiare patrocinium optabilius, nihil ſocietati noſtræ vniuerſæ, ad maiora in dies virtutum incrementa firmitatemq; potentius, quàm quod Ignatium Loiolæum, ac Franciſcum Xauerium in numerum ſanctorum retulit, eoſq; cultu eximio, ac religione venerandos eſſe decreuit. Quamquàm ſanè inficiari nemo poteſt, non parum exiſtimationis, ad ſingulare decus, in paſtorem præſtantiſſimum ex illorum apotheoſi naſci. Pontificatus eius tempus non tam annorum numero, quàm præcellentiſſimi huius operis memoria menſurabitur. ad quod opus, cum primùm in ſummum illud dignitatis faſtigium euectus eſt, animum curamq; conuertit. Incertum, reliquæ vitæ ſpatium, ne ſe falleret, occupauit. adiunxit ad facti gloriam, prudentiæ laudem. Quin etiam vtriuſq; ſanctiſſimi herois meritis, ac precibus, peculiari quodam iure, viam ſibi muniuit ad coeleſtis beatitudinis, qua perfruuntur, perenne conſortium. Io igitur, io triumphe. Viuite, viuite gemini proceres, Ignati, ac Franciſce, recentia coeli, ac fulgentiſſima lumina; ſuperum deliciæ, terrarum orbis ornamenta, Catholicæ propugnacula fidei, noſtræ columina ſocietatis. Vos diuini cultus acerrimi vindices, hæreticæ peſtis excidium, Chriſtianæ religionis indefeſſi propagatores, vos Ideæ ſanctitatis, perfectiſſima morum norma, pulcherrima theatra virtutum; vos intermiſſum tot ſeculis frequentem

tem Sacramentorum vſum in Eccleſiam reuocauiſtis, vos omnibus ſemper ad Chriſtiani officij notitiam,lucem,ad diuinos amores facem prætuliſtis: vos deniquè veſtra ſtudia omnia, curas, ſolicitudines,lacrymas,preces,itinera,ieiunia,vigilias,corporis cruciamenta voluntaria, pias cum hominibus conſuetudines, colloquia, conſilia, cohortationes, conciones, totos deniquè vos ipſos communi gentium omnium vtilitati, commodis, adiumentis, ad æternæ ſalutis adeptionem,ac Dei gloriam conſecrauiſtis. Quos non labores Chriſti cauſa ſubijſtis? quæ non tormenta tolerauiſtis? quas non victorias de vobis ipſis primùm, tùm de alijs, contrà quos honorifica eſſet debitaq; contentio, reportauiſtis? quæ non iuga dæmonum ex hominum ceruicibus depuliſtis? quæ non præclara facinora,quantumuis ardua,non modo aggreſſi eſtis,verumetiam ad exitum feliciter perducta vidiſtis? qui non annales rebus à vobis geſtis grauidi, copioſiſſimam oratoribus fudere dicendi materiam, eorum tamen ſemper ſterileſcente facundia? Quæ non eloquentiæ flumina,in veſtras laudes ex omnibus euoluta prouincijs, iugi tamen, perpetuo, ſemperque pleno veſtrorum meritorum fonte,iam exhauſta? Quod ferè genus, præcipuorum quidem certè, miraculorum non à vobis exhibitum, hominum animos atquè oculos rapuit? Quæ non ſacella, veſtro dicata cultui,ac tabellis conſtrata votiuis, ingentia æquè ac frequentiſſima beneficia diuinitus à vobis accepta teſtantur? Nullis templa ipſa tam pretioſis periſtromatis induuntur. hæc loci dignitatem prætendunt; illa veſtram potentiam. Poſtremò quid de veſtris ſectatoribus dicam? Enimuerò habet hoc non degener poſteritas, vt nunquàm interciſa operum nobilium ſerie, ſuis maioribus texat incrementa honorum, quorum memoria in hominum animis non ſolùm nulla temporum diuturnitate langueſcat, verumetiam nouis ſemper corroborata ſubſidijs,doceat ſepulchrum extrui potuiſſe cineri, non virtuti. Ergò quantùm è filiorum tuorum, Ignati Societatis Ieſu parens optime,ac fœcundiſſime,tuorumq; pariter fratrum, Franciſce incomparabilis anteſignane,moribus,virtutibus,doctrinis,laboribus,atquè ergà genus humanum officijs,ac fructibus,ad veſtræ lætitiæ,& gloriæ cumulum ſingulari Dei ope, ad hanc vſquè diem acceſſerit, nolo in oratione mea ponere,ne fortè videar nihil afferre noui,præter iactantiam,quam refugiunt, & nihil digni commendatione, quam promerentur.

Hoc

Hoc itaq; ſolum mihi nunc videtur ſupereſſe, vt cum his ipſis Societatis noſtræ hominibus obnixè vos orem, ac deprecer, vt vnuſquiſque noſtrum perfectiſſima vitæ veſtræ acta, & exempla in ſe repræſentare, veſtriſq; veſtigijs perpetuò inſiſtere ſumma cura, ſtudio diligentiaq; conetur. atque in primis cum iiſdem, atquè omnibus Chriſti cultoribus vos vehementer obſecrem, vt Eccleſiam vniuerſam veſtris apud Deum precibus, veſtro patrocinio, veſtriſq; auxilijs ſartam tectam, florentem, amplificatamq; ſeruetis. Non enim vobis nequè voluntas deeſt, nequè facultas tanta ſiquidem eſt veſtræ erga omnes caritatis magnitudo, vt nulli vnquàm bono contigerit plùs optare, quàm velitis. Tantum verò apud Deum, & gratia poteſtis, & meritis, vt efficere minimè poſſitis quin ingeniorum omnium ſublimitas, omnis in dicendo exercitatio, omnis eloquentiæ vis in hac ipſa veſtra poteſtate prædicanda, quantumuis eiuſdem poteſtatis ope fulta, ſuccumbat. Sed finis ſit; initio dignus ſcilicet. cum extremis verò ſi media conferantur, nihil erit abſimile. In huius quippè operis longa breuitate, coherent propè irriti mei labores. Quapropter ſi ieiunè, & inconditè dicere, ſilentio par eſſe iudicatur, hactenus me de vobis ſiluiſſe confiteor. Ignoſcite magni maximi, ac fortiſſimi heroes. Non me tamen poenitet tentaſſe quid poſſem, ſed pudet præſtare non potuiſſe quod debebam. Si laudem in altero non inueniam, quam minimè quæro, in altero veniam merebor, quam maximè cupio.

FINIS.

Soli Deo honor, & gloria.

FRANCISCI REMONDI
DIVIONENSIS
SOCIETATIS IESV
PANEGYRICA ORATIO
IN LAVDEM SANCTI CAROLI CARDINALIS,

Iam pridem, & nunc iterum typis cuſa.

PLACENTIÆ, cIↄ.cIc.xxvj.

Apud Iacobum Ardizzonum Cameralem Typographum.

De conſenſu Superiorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO

PARMÆ, ET PLACENTIÆ

PRINCIPI

ODOARDO FARNESIO

FRANCISCVS REMONDVS
SOCIETATIS IESV
Felicitatem.

HAEC qualiſcumq; laudatio, Princeps Sereniſsime, Diuo Carolo debetur, & tibi. Cauſam habeo ab eius meritis ergà me, et a tua in eum pietate. Ego illius opem non ſemel implorаui; præſtò fuit, & præbuit; tu ab infantia, de illius curà ſuxiſti; te fouit, & educauit. Vtriquè noſtrum ab illo benè eſt. Panegyricum illi dedico, & tibi offero. Hunc ſi

Digitized by Google

PANEGYRICVS IN LAVDEM D. CAROLI CARDINALIS.

Auctore Franciſco Remondo Diuionenſi, Societatis IESV.

NISI me regij vatis animaret, ac firmaret auctoritas, qui ſuprema diuinæ maieſtatis præconia, in ore infantium & lactentium procuſa, & ad omnium nationum, ac gentium aures iactata eſſe teſtatur; non dubito quin de maximo, ac præcellenti ſanctitate conſpicuo Diuo Carolo Cardinali, & Archiepiſcopo, non ſolùm vox dicere aggredientem, verùm etiam vel ipſa mens aliquid priùs cogitare conantem repentè deficeret. Sed cum ſubeat animum cæleſtis chori laudes & cantus, in ortu Chriſti ad cunas vagientis auditos, non niſi quendam inchoatum concentum vocum videri, quem poſtmodùm Hieroſolymis, ſub illius occaſum, fauſtæ infantium Hebræorum acclamationes, ingenti cum omnium admiratione perfecerint; homines verò, ſi eos cum beatiſſimis illis mentibus componere velis, pueros & infantes eſſe cenſendos; audeo, valeo, eloquens, ac vir euado. audacem me facit timor, fortem imbecillitas, diſertum infantia, pueritia virum. Nam quidni tot inter oratores vox balbutientis exultet, cum vel ipſi beatarum mentium facundi torrentes, exiguo infantilium labiorum lacte ſuperfuſo, & exundante obruantur? Tamen ſi dum quarumdam rerum præcipua capita in pauca verba confero, ita dicam, vt de hoc præſtantiſſimo Eccleſiæ Mediolanenſis principe nihil dixiſſe videar; id ego felici ſorte vtrique in lucro reponam; mihi ad leuamẽtum laboris, illi ad cumulum gloriæ. Non eſt in ſilentio labor; ſed in ieiuna oratione ſilentium. Nulla verò maior commendatio eſſe poteſt, aut animo concipi, quàm omnis fruſtrà tentata laudatio. Quem pro voluntate commendare non potes, pro dignitate laudaſti. E conatu fracto vis

elo-

eloquentię ſurgit. Ardua molitus,ſi te corruiſſe agnoſcis,erigeris: ſi te in altum effert audacia,concidiſti. Miſerum eſt interire gratis. In immenſo Diui Caroli laudum pelago fortunatum timidè velificanti naufragium eſt. illo dum obruor,emergo: quia pereo, perire non poſſum. O inauditum beneficij genus,te,quod virium robore non potueris, infirmitate præſtitiſſe! Vereor ne non minùs (ſi fas eſt dicere) paruitati meæ quodammodò ſit, quàm Diui Caroli magnitudini gratulandum. Saltem iſta in dicendo exilitas, nec de illius amplitudine quidquam detrahet, nec de mea voluntate. Sed vndè initium ducet oratio? an ab eo, qui non animum, ſed oculos rapit, ſplendore familiæ? Sed quorſum id memorem,quod ille neſciri maluit? quid ſuſpiciam,quod deſpexit? quid prædicem, quod audiri leniſſimum duxit? Sanguis nimirum, non virtus, ſanguine propagatur. Tituli, & honores plerumq; ſunt arbitria fortunæ, non argumenta virtutis. Improbi cum bonis habent in nobilitate conſortium. Statuæ, imagines, & ſimulachra, principum virorum ſpectantur in aulis. Hæc tandem fuligine violantur. Si te his tantummodò iactas, maiorum tuorum gloriæ te ſolus fumus facit hæredem. Non poteſt marmore virtutis effigies, ſed animo exprimi. Saxa deteruntur: æreæ machinæ exeduntur: annorum ſitus,& caligo picturis incubans,illas reddit ambiguas. Sola ſapientia (qualis in D. Carolo fuit) nunquam moriens, & ſemper renaſcens, nullo temporum fugientium tacta veſtigio,nullis malorum obſiſtentium inumbrata nubeculis, ſuo beata decore, hominum animos ſenſim allectos ſalutari ſauciat amore, & voluntates alibi quæſita, & fruſtra ſperata mancipat libertate. In hac ille generis decus, nominis commendationem, ſedem animi, monumenta gloriæ collocauit. In hac denique genuina, & fœcunda ſemina iecit ad fructus feliciſſimæ perennitatis. Quo factum eſt,vt illius adhuc iuuenis,ſtudiorum,modeſtiæ,caſtimoniæ, & vitę innocentis fama non ſolùm tota Vrbe, Chriſtiani ſede imperij, auroræ inſtar clareſcere cęperit, verumetiam tota Italia radios effundere,Oblata eſt illi à Pio IV. Pontifice maximo,ac ſapientiſſimo,eodemq; auunculo purpura. excepit; vt doceret vſum,non duceret faſtum. Purpuræ lucem dedit, non à purpura traxit. Sapientia non potat in conchylijs;non paſcitur euomitis vermium viſceribus. Stultum putauit iactare ſe belluarum ſpolijs, & piſcium cruore decorari. Aliundè aduehitur

tur materia texendis viro magnanimo veſtibus; nec ad colores mentis egregiæ ſuperba tincturis iugulanda ſunt dolia. In pretio eſt indumentum, & toga, quæ ſuo ſanguine rubeſcit, non alieno. Ergo, vt dicebam, excepit Carolus purpuram, non tegendo corpori, ſed menti nudandæ. Etenim in medijs illis dignitatis inſignibus, Caroli virtus tot, ac tantis ſplendoribus fulgurauit, vt quemadmodum ſidera ad ſolis aſpectum emortua face palleſcunt, ita purpurea, & flammea veſtis, ardentiſſimis vndique animi luminibus extingueretur. Et quiſquam mirabitur, quod ille poſtmodùm in ampliſſimam Mediolanenſis Eccleſię ſedem Archiepiſcopalem euectus ſit, cum tam præclaris ornamentis à Deo præpotente inſtructus fuerit, & donis cęleſtibus cumulatus? Sed ſi quis fortè eſt, qui à me aut exigat, aut expectet, vt res à Sanctiſſimo Præſule in eius ſublimi munere geſtas recenſeam, facilè animaduertere poterit, illarum varietatem, orbi terrarum notiſſimam, enarrare velle, non leuis eſſe imprudentiæ; ad laudationem verò omnis eloquentiæ faſtigio celſiorem fidenter adniti, temeritatis. hujus hoſtem natura me fecit; ab illa ratio me cautum reddidit; ab vtriuſq; periculo tanti Paſtoris prouida cura liberabit. Quamobrem pauca de plurimis in conſpectum dabo. Paſtor cognoſcat oues oportet. ſine ouibus paſtor non eſt. qui oues ignorat, ouibus caret. O rem arduam, cum & animorum, quoad fieri poteſt, introſpicienda ſit facies! Quis regat quod ignorat? quis medelam ne auditis quidem afferat malis? In hoc Diui Caroli ſudabat induſtria: in hoc ſtudia conferebantur. Eorum tantùm hominum, qui commodis, aut lucro inſeruiunt, vultus agnoſcere, non eſt Epiſcopi, ſed mercatoris. Quin etiam bonus Paſtor ouium numerum tenere debet ad ſalutem, non ad cenſum; vocare illas nomine proprio, ad amorem, non communi, ad incuriam. Peruoluite annales de Carolo, ingerent ſe ſe oculis innumera facta pro exemplo. Paſtor ſuo ſe nomine prodit: paſcat oues. Ieiunia, & famem D. Carolus, Paſtor inſignis, exquiſita ſua fercula duxit, non ſolùm eneruando, quantum fas eſſet, corpori, verumetiam pabulis multitudini pauperum copioſè ſuppeditandis. labores verò, & animi contentionem, pro dulci quiete habuit, non ſolùm corroborando, quantum poſſet, animo, ſed etiam cœleſtibus alimentis toti gregi largiter miniſtrandis. Inhiare ouium prouentui, domini eſt: radere cutem, mercenarij:

ſaginari carnibus, lupi ; Non congeſſit in aceruum gregis opes; qui effudit ſuas : neq; lanę pondera nouit, qui Epiſcopi diuitias fieri cenſuit peculij leuitate grauiores : neque ouium iugulant frangi paſſus eſt ad macelli prætorium, qui cum ſe lautiſſimè viuere arbitratus eſt, cum vitam illarum cauſa, & amore, quantum in ſe fuit, proiecit ad necem. Faceſſant procul ab Epiſcoporum aulis qui maria flagellant ad merces, qui lacerant terras ad aurum, qui aerem euerrunt ad aucupia, qui ſyluas exenterant ad prædam, qui deniquè ſacris in ædibus, tanquam officinis, gementes negotiationum incudes pernicioſo labore fatigant. Hæc monſtra, hæc portenta ſolum nomen celeberrimi huius Mediolanenſis Archiepiſcopi ſtrauit, ſola præſentia profligauit. Perge porrò; pudeat Epiſcopum ſui nominis, ſi non inuigilet aſſiduè gregi : ſi non agat excubias : ſi non ſit in perpetua quadam ſpecula. Nihil eſt quod hic de Diui Caroli vigilantia dicam, cum eo tempore nullus extiterit, qui cum illo potuerit hac in re compatari. Candida vellera Tyrio ebria murice, languenti dormiunt in ſucco, gignendæ purpuræ : at Carolus ſemper ſobrius, viuida vigilauit in purpura, complendæ, meliori partu, cœli Regiæ. Sed hoc non ſine doloris ſenſu; quòd purpuram ſemper candicantem putaret, donec illam videret ſuo ſanguine rutilantem. Id ſolum defuit eius piæ, & alterius impiæ voluntati. Plumbeus globus tubo ferreo, ferreo pectore violenter excuſſus, non corpus, ſed veſtimenta traijcit : viam vulneri, non vulnus facit. In illa horrificis flagellis cruenta, & aculeatis, ſpinoſiſq; tunicis lacera carne non inuenit nouo vulneri locum, niſi vulnera vulneret. Nudum latus lædere poterat, qui poterat ferire veſtitum. elanguit ictus ad tactum, quia quod obſtaret, nihil fuit obuium. Habuit corpus pro galea conſtantiam, pro clypeo innocentiam, pro lorica nuditatem. O felix toga, & tunica, tali ſaucia telo, & peruia facta ! hoc ſolum artifex intexere ornamentum non potuit. Si ſcelerata illa dextera, parricidali admiſſo facinore, aliquam ſibi (quod abſit) poſſet arrogare mercedem, hoc tantummodo additum tibi decus haberet in merito. Valete Phrygiæ veſtes & gemmis interpuncta, & ſtellantia paludamenta. Valete adamantes, topazij, amethyſti, & quotquot importuna ambitio in intimis Oceani penetralibus ſcrutatur vniones. nunquam India in luxum Perſicum tàm pretioſè grandinauit. Felix,

inquam,

inquam, indumentum tu tibi totum hauſiſti vulnus, illud corpori forſitan inuidebas? & tamen mollius erat latus quod penetraretur: ſed globus erubuit, ne pupugit quidem: plus erat in plumbo ſenſus, quam in plumeo parricidæ cerebro ſanitatis. Hæſit tamen exigua illa, & ſuis viribus minor pila, dubia an ſe inſinuaret in corpus: eò quòd in illo, & puriſſimo, & cœleſtibus radijs (vt ita dicam) maritato, mutata natura, ſperaret euaſuram ſe inſtar vnionis in concha. Tentauit; ſed delicatæ ambitionis conatum irriſit, ac repulit obiectæ reuerentia ſanctitatis. Si corpus affectum plaga fuiſſet, ſi manaſſet ſanguis è vulnere, eidem vulneri ſanguis feciſſet, & plaga corpori medicinam: malum ſibi ſalus fuiſſet: tanta vis eſt vitæ ſui prodigæ, tanta in animoſo pectore diuinæ potentia caritatis. Quamquam ne ſauciato quidem è corpore ſtilla fortaſsè ſanguinis vlla fluxiſſet. æſtuante nimirùm cœleſtibus flammis animo, vix vdum corpus eſſe poterat. roſeum humorem auidæ faces ebiberant. O ictum illum opportunum, ſi quam anhelanti amore diuino pectori aperuiſſet ad ſpiraculum viam! non licuit, non potuit: atque adeò potentiùs ignis exarſit; vt Carolus, qui non poſſet ſanguine fuſo, vndiquè obſtructo moreretur incendio. At ſi fuſus non eſt, intus tamen eſt exhauſtus. Nomine mutato, res conſtitit. Sanguis cum igne videbatur confligere; ille dum exitum moliretur, hic dum correptum depaſceretur: & vterq; vicit: ille quia negata libertate, generoſus medias ſe ſparſit in flammas; hic quia ſparſum ſitibundus repentè conſumpſit. Amori litatum eſt ſatis. Enimuerò etiam, cum fulmineum illud telum in cædem manifeſtam Archiepiſcopi, pro ſacris legibus pugnantis erumpens, nulla ſui relicta in corpore nota, protegente Deo, impetum, ac vim tantùmmodò in ſonum fregerit, quis non fateatur, fortiſſimum, ac ſanctiſſimum Præſulem, propemodùm martyris nomen, & gloriam eſſe conſecutum? Inſignem martyrij palmam, Caroli voluntate iam poſſeſſam, dextera penè arreptam, numinis prouidentia dexteræ ſubtraxit, voluntati reliquit. Opus excidit; meritum manet. quo fit, vt cum ille moriendi cupidus, attonitæ morti vltrò ſe mactandum obiecerit, non in feretro, funebri pompa, ſed velut in curru, lætiſſima victoria, de morte, vita ſuperſtite triumpharit. Eluſa mors eſt. Ille tamen ingemuit, quòd ſibi, non vita, ſed mors eſſet erepta. Mar-

tyrij quidem coronam capite non geſtauit, neque palmam dextera. corona tamen & palma, in triumpho ſpectabiles, ſe ab illo quem ſibi ornare non licuiſſet, non amiſſas, ſed à Deo in aliud præmium conuertendas eſſe prædicarunt. Attolle oculos, Diui Caroli ſacrilege percuſſor, hominum perditiſſime, & hæc aſpice; niſi te conſcientiæ ſtupor opprimit; & diſce quantum poſſit impietas in ſui perniciem; & in alterius innocentiæ gloriam. Tu, tu inquam, eo teli iactu, quo impulſa ſtygio furore dextera, armatum conſtantia tanti viri pectus perfodere non potuit, tuum ipſe flagitioſiſſimum animum trucidaſti. Hoc ſolum habes immaniſſimi ſceleris trophæum perpetuum. Verumtamen boni huius Paſtoris, veluti ſolicitæ parentis, fœcunda pietate aluus, illam exitialem pilam repentè deuoraſſet, & in ſe condidiſſet, ſi tali grauida ſemine, conſceleratis proditoribus vitam ſuiſſet, ſalutemq; paritura. Stabat interea conſpicuus Antiſtes, inuicta fortitudine, & pontificia grauitate immotus ad ictum, qui ad arcenda ab alijs mala, vix poterat vllo in loco conſiſtere. & vt erat ſupplex, & venerabundus in ſacello, non tàm ſuo periculo, & iniuriæ indignitate, quàm alieni criminis atrocitate commotus, vindictam conuertit in preces, & iram iuſtam in fletum. Ad aram, grata Deo victima ſemetipſum obtulit; & cecidiſſet, niſi ſemel tantùm, veluti hoſtiam procumbere, parum eſſe duxiſſet pro animi magnitudine, & Dei maieſtate. Tunc non interijt, vt poſtmodùm ſæpius interiret. Etenim eccè tibi, Mediolanenſi Ciuitati ſæuiſſima, & vaſtiſſima lues immiſſa, non tàm puniendis quibus, quàm experiundo Paſtori. Quoties congeſta plauſtris cadauera rapiebantur ad tumulos toties ille efferebatur ad funus. Mors tamen illum non attigit, quia mortuum credidit. Aſſiduè viuebat, vt moreretur: moriebatur aſſiduè, vt viueret. quo fit, vt neſcias, de vita ne, an de morte glorioſius triumpharit. Surgite ciues Mediolanenſes, è ſepulchris erumpite, & cum ijs, qui ſunt adhuc ſuperſtites, de parentis veſtri meritis æmula conſpiratione contendite; vtri veſtrum maius, illis calamitoſiſſimis temporibus, auxilium, perfugium, conſilium, commodum, quà corporum, quà animorum peſte propulſanda, aut curanda, experti ſint, ſenſerint, commẽdarint: vtri beatiores fuerint; an vos, qui in eius ſtillantibus oculis, quòd auertere luem non poſſet, & dulci ſuſpirantis adſpectu animas exhalaſtis, an qui receptis viribus, fruſtrà

luctan-

luctante malo, ad eius pedes abiecti, ſuæ ſeruatorem vitæ conclamabant. Vos ſacris Eccleſiæ catholicæ armis eius opera muniti, in cęleſte capitolium properaſtis: illi autem in ſtatione relicti, propagando poſteritati tantorum beneficiorum præconio, licet in communi afflictæ ciuitatis luctu, temperato lacrymis gaudio fruebantur. Ego verò, vtrùm vos ſua illis, an illi veſtra vobis bona inuiderint, ambigo. O vitæ, & mortis nouum certamen, pari honore, diſpari fructu! Iam in iſta veſtra, Mediolanenſes, nobiliſſima, ampliſſima, pulcherrima, opulentiſſima Vrbe, quot ſaxa per ſtrata viarum, tot veſtri Præſulis, Paſtoris, Parentis itinerum, & concurſationum veſtigia: quot ſepulchra mortuorum, tot monumenta virtutum: quot ædes, tot domicilia laudum. Verumtamen ægritudines, morbi, peſtilentiæ, corporum languor, ſunt humanæ conditionis caſus, fructus annorum, aeris luſus, mortis inſidiæ. ſed ea, quæ in maxima, & celeberrima Mediolanenſis Diœceſis adminiſtratione patrauit, tot, ac tanta ſunt, vt & magnitudo præſtantiſſima ingenia opprimat, & multitudo diſertiſſima ora confundat. quamquàm me non parùm conſolatur, & recreat, quòd nihil ſit occultum, nihil ignotum. in luce, in oculis, in animis non ſolùm Italiæ, verumetiam omnium gentium poſita ſunt omnia. plena ſunt hiſtoriarum volumina: plenæ Rhetorum ſcholæ: vrbes, prouincias, regna Caroli nomen occupat. Si tamen ſileant homines, viæ, vici, plateæ, compita, templa in eius honorem condita, ſtatuæ, & ſaxa loquentur. Quæ ille excogitauit, dixit, egit, ac perfecit cum æternitate certabunt. Rem compendio premam. conuertite, quocumq; lubet, oculos, Mediolanenſes, circumſpicite vndiq; templa, veſtra in vrbe partim erecta, partim refecta, magnificentiſſimis conſpicua ornamentis; Clerum ad ſanctam viuendi rationem redactum; ſtatuta, decreta, & leges latas tota felici dięceſi; diuinum cultum incredibili ſtudio, & diligentia inſtauratum, auctoritatem Eccleſiaſticam fortiſſimè propugnatam, incolumemq; ſeruatam; inſignem ciuium pietatem, ac modeſtiam; hoſpitia pauperibus, & ægrotis nutriendis, & curandis, aut condita, aut ditiora, & commodiora omni ex parte reddita; religioſas vtriuſq; ſexus domos, partim ædificatas, partim in meliorem formam, aut ampliorem reuocatas; Archiepiſcopatus vrbes, oppida, pagos, loca omnia, ſolicitudine indefeſſa, & labore ingenti luſtrata. Hæc ſunt, videlicet, quæ Diui Caroli

Cc 2 præ-

Digitized by Google

Præſulis, & Paſtoris veſtri fidem, vim ingenij, doctrinam, prudentiam, vigilantiam, ſtudium; hæc quę diligentiam, caritatem, pietatem, manſuetudinem, humanitatem, beneficentiam; hæc quę iuſtitiam, grauitatem, conſtantiam, cæteraſq; virtutes, immortalibus pręconijs, laudibus, honoribus, meritorum titulis, votorum frequentia, aſſiduo cultu, & ſumma veneratione celebrabunt. O vrbem, Carole, tuam fortunatiſſimam! Illa vnum ſemper tibi templum tota futura eſt. Tu illius iaces in gremio; illa tuo viuit in tumulo. Animum tuum in mente condidit, corpus in corde. Animo cęlum fruitur, corpore tellus: hæc, & illud vtroq; mallent, pari punguntur inuidia. Tu in ſuprema cęli arce triumphis exultas: tua vrbs tui corporis pignore, tanquam inſigni tropheo ſuperbit; nunquàm fortaſsè ditanda maiore bono. Veniant, licet, o Mediolanum, regijs quondam imperijs euocati lacus, deriuatis iugiter è ſuo ſinu placidis amnibus, & nauigij patientibus, qui te totum lambenti gyro, & lenocinanti ambitu complexi, effuſis prodigè mercimonijs beent. Regionum omnium, ſuas in te opes comportantium, iumenta, & vehicula, itinerum anguſtijs penè ſtrangulata, ſpatia locorum amphora, & campos inclament; properent, ad inuidiam, ſolicita inſtitorum agmina; tibi terræ, & maria famulentur. Agedum pande viarum officinas; theſauros reclude; pateant animoſa armamentaria; magnificentia veſtium, & opulentiæ vis, prætereuntibus inſidiata, nutantes oculos inuadat, & rapiat; rerum pulcherrimarum theatra diem aperiant, claudantq; earum aſpectu frangatur dies; mutilum tempus integret in commercio lucra; oſtenta merces ad pompam; exerce opificum manus; circumſtrepant auribus chalybum vulnera, tonent tormenta metallorum; fluant in luculentis aurificum clauſtris die noctuq; auri, & argenti riuuli; diſcat nouus orbis in tuis plorare fornacibus; euoluant tabernę diuites bombycum, ſua ſibi priùs ſepulchra elaborantium, exuuias; fluctuent appenſa, leuiora auris lintea, & vela carbaſea; colludant ad venti ludibrium criſpiores amictus; laſciuiat aurum pretioſo in campo, Dædalea manu deductum in labyrintheos flexus, intercurrentibus, lento tramite, in obliquos errores, & reciprocos Mæandros argenti venis; cogant vnguentarij penè iam ſiccos ſudare Arabes, & Sabæos emungant; pluat in te margaritis; defleant orientis incolæ ſuis à te littora ſpoliata diuitijs; minimè pudeat gemmeos in te ſpectabiles vndiq; lapil-

los,

Digitized by Google

los, cœli ſidera ſcintillanti luce irritare; ingenia deniq; tuorum artificum excellentiſſima, eorumq; opificia, licet generosè cum materia de nobilitate contendant, nunquam diſſociando connubio copulentur. conuoca, confer, congere hæc omnia, & maiora, ſi potes, vel potius eã ipſa ſua ſponte cõſpirent ad noui alicuius operis miraculum; nihil profectò, nihil vnquàm aut perficient, aut molientur, quod hunc virginei, & illibati corporis, quod in tuo ſinu, & complexu tenes, ſacroſanctum, diuinum, atque admirandum theſaurum, excellentia, dignitate, gloria, æſtimatione, ac pretio poſsit æquare. Habes in te, in tuis oculis, in tuo cõſpectu, ad quem cõfugias; cuius opem implores, apud quem lacrymarum flumina fundas, & ſicces. Habes in vita ſolatium, perfugiũ in morte, in malis remedium, ad omnia propugnaculum, tua illa munitiſſima, & incomparabili arce, multò firmius, ac perennius. Patronum poſsides, tot clarum miraculis, tot prodigijs inſignem, tot cœleſtibus adiumentis memorabilem. Teſtes ſunt pendulæ tabellæ votiuæ; tot dona ſplendida; tanta vis auri, & argenti, vel hoc ſolo felix nomine, quòd in ſacras imagines, & ſtatuas conuerſa, & in diuinum formata vſum, glorioſè adſurgit, ſeſe circumſpicit, & cœleſtibus cultam honoribus demiratur. teſtes peregrinorum phalanges, populorum concurſus, puerorum, puellarumq; conuolantium greges: & ego quoq; (ſi patitur ille, vt inter infantes in hac ętate ſeneſcente audiar) ingratus iudicer, ſi non ex illius pietatis fontibus aliquid in me deriuatum eſſe profitear. Iam D. Caroli fama omnium terrarum oras, & ſinus maris penetrauit. Iam extremæ orientis, & occidentis regiones eius auxilium implorant, & ſentiunt incommodorum ortu, & occaſu. Iam qui ad vtrumq; polum, horrendo rigent, & dureſcunt frigore, caritatis eius face molliti calent. Iam Indi, Aethiopes, Numidæ, & cæteri, qui cœlo deflagrante, ſtratis humi corporibus, languidi, & exanimes tabeſcunt, eius fauoris Zephyro, ducto ſpiritu, & recepta anima, viuunt, & valent. Iam deniq; tu ipſa, talis, ac tanta vrbs, cœpiſti non tàm tuo, quàm eius nomine cognoſci & prædicari. Sed quò, non facultatis fiducia, ſed amoris vehementia rapior? De te, Carole Cardinalis, & Archiepiſcopę ſanctiſſime, nimium diu balbutio. mihi proindè tandem huius ſermonis curſus truncandus eſt. Aggredi cum verecundia debui: proſequi ſine graui pudore non poſſum. Da veniam, ſi & hoc addere nũc audeo. cum tot, ſcilicet, homines

in

Digitized by Google

in tuorum beneficiorum Oceano natare videamus, hoc mihi beneficium defuit, quòd de te pro dignitate loqui non potui. Sed id non eſt inopiæ auxilij tui, ſed virtutum, & meritorum magnitudini tribuendum. quamquam non exiguum beneficium fuit, quòd me de tuis laudibus, tàm ieiunè, ineptè, & inconditè diſſerentem toleraueris. Sed quid opus eſt, aut copioſiùs, aut elegantiùs, aut accomodatiùs oratoris munere fungi? nihil enim eſt, quod ampliùs homines de te audiant, ſed admirentur; nihil quod diſcant, ſed imitentur. Anceps erat initio animus, loquerer ne, an ſilerem: hoc turpe videbatur, illud periculoſum. tamen iacta eſt alea. Si quid dixi, ſilentij culpa vacabo; ſi nihil dixi, nihil erit, quod in mea poſſit oratione reprehendi. At enimuerò quis reperiatur, qui ſe quamcunque in partem flectat, tutiſſimum iactet? Ingentem fluuium traijcere geſtienti, moram increpant brachia, ſubſiliunt pedes, micant oculi: ſed vbi natantem fluctus abripuerit, & hauſerit vortex, ſerò, & citò diſces, quid ſit altiſſimum tranare alueum, & coniuratos euincere vndarum conflictus. At contrà, ſi periculo repente territus, & fractus deſperatione, ſupinus iaceas, & oſcites; tibi ipſe in abiecta, & vili arena fodies turpis ignauiæ monumentum. Ego verò ſi quid præſtiti, & tamen naufragium feci, illi fluctus, qui me ſorbuerint, in tuam, Carole, maiorem gloriam redundabunt; ſi nihil præſtiti, & in littore concidi; id mihi obnitente animo, & deficientibus viribus contigit. Conatus meus ſuo viuet interitu, & littora clariore plauſu tua facta reſonabunt. Quamobrem, ò Eccleſiæ catholicæ decus, Mediolanenſium gloria, Italiæ columen, purpuræ fulgor, Pontificum idea, cœli ornamentum, terrarum deliciæ, compendium ſanctitatis, te colimus, amamus, & vtcumq; poſſumus, laudare conamur. Singularia ſunt tua merita, benignitas magna, prompta facilitas: excipiant, obſecro, merita cultum, amori faueat benignitas, facilitas parcat audaciæ. In hoc cultu, amore, & laudatione (agnoſco & fateor) meum eſt, quod minimè potui, tuum eſt, quod maximè volui.

LAVS DEO.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IHS